A

S - S
1 - 7

SS-A
22

R.11487
Est. 33
tab 5a
nº 15

# STATVTA ALMÆ ECCLESIÆ OXOMENSIS.

PER ILLVSTRISSIMVM, AC REVERENDISSIMVM
Dominum D. Sebaſtianum Perez, eiuſdem Eccleſiæ
Epiſcopum, Regiumque Conſiliarum, &c.




*S. Pedro Obispo de Osma, S.to Domingo Canonigo,*
*Patronos de esta Santa Iglesia.*

MATRITI, Per Antonium Gonçalez de Reyes.
Anno M.DC.LXXXI.

# INDEX STATVTORVM huius Almæ Eccleſiæ Oxomenſis.

STatutum primum, de ingreſſu Miniſtrorum Eccleſiæ, pag. 2.
Statutum 2. De Genere, pag. 3.
Statutum 3. Pro receptione ad poſſeſsionem, pag. 4.
Statutum 4. Quomodo reſidere teneantur in Choro Beneficiati, & qualiter excuſentur. pag. 5.
Statutum 5. De fructibus percipiendis in abſentia, p. 7.
Statutum 6. De requie ſumenda, pag. 9.
Statutum 7. De Peregrinantibus, pag. 10.
Statutum 8. De emeritis, pag. 11.
Statutum 9. Qualiter infirmi excuſentur, ibi.
Statutum 10. De ſilentio, & decentia ſervanda in Choro, pag. 13.
Statutum 11. De tempore quo Beneficiati induunt capas nigras, pag. 14.
Statutum 12. De Proceſsionibus, pag. 15.
Statutum 13. De ordine celebrandi Litanias, & alias Proceſsiones, & diuidendi illarum ſtipendia, p. 16.
Statutum 14. De his, qui diebus ſolemnibus, & Feſtiuis tenentur capas ſericas aſſumere, pag. 17.
Statutum 15. De ordine, & celebratione Miſſarũ, p. 18.
Tabula Feſtorũ Dupl. quæ celebrãtur per annũ, p. 19. b.
Statutum 16. Quod Capellani proprietarij tantum poſſint Miſſam nouam in Altari maiori celebrare, p. 22.
Statutum 17. Quibus diebus Epiſcopus, Matutinum, Veſperas, & Miſſam Pontificalem celebrat, cum vult, ibi.
Statutum 18. De tonſura, & Corona Beneficiatorum, pag. 23.
Statutum 19. De prima reſidencia facienda, pag. 24.
Satutum 20. De officio Prioris, qui eſt prima Dignitas

maior poſt Pontificalem, pag.25.
Statutum 21. Quod Prior ponit Subpriorem, & Vice-ſupriorem, & Portarium, pag.27.
Statutum 22. Quod Prior eſt executor poſt Epiſcopum iſtorum Statutorum, pag.28.
Statutum 23. Quod in quarta Feria Hebdomadæ Sacræ Prior commoneat omnes Capitulares ad mutuam charitatem, ibi.
Statutum 24. De officio Archidiaconorum, pag.29.
Statutum 25. De officio Cantoris, pag.30.
Statum 26. Quod Cantor ponit ſuccentorem, pag.31.
Statutum 27. Quod Cantoris eſt ſtallare in Choro, & cœteris extraneis, ſedes aſsignare, pag.32.
Statutum 28. De officio Sacriſtæ, vel Theſaurarij, p.33.
Statutum 29. Quod duæ perſonæ in quolibet biennio deputentur ad viſitationem eorum, quæ ſub cuſtodia Theſaurarij ſunt. pag.30.
Statutum 30. Quod Theſaurarius nominat ſuos Officiales, pag.35.
Statutum 31. De oneribus ad quæ tenetur Theſaurarius, pag.36.
Statutum 32. De officialibus Theſaurarij, & primo de cuſtode Theſauri, & Sacrarij, pag.40.
Statutum 33. De officio Sacriſtarum, pag.41.
Statutum 34. De officio Scholaſtici, pag.43.
Statutum 35. De officio Abbatis Sancti Bartholomæi, pag.44.
Statutum 36. De officio Decani, ibi.
Statutum 37. De officio Abbatis Sanctæ Crucis, ibi.
Statutum 38. De officio Subprioris, pag.45.
Statutum 39. De diſtributionibus quotidianis, pag.46.
Statutum 40. De Camera, ſeu beſtuario, pag.47.
Statutum 41. Quod nullus de Eccleſia poſsit vendere, ſeu alienare poſſeſsiones, pag.48.
Statutum 42. De Portionarijs, ibi.

Sta-

Statutum 43. De oneribus annexis Portionarijs, p.49.
Statutum 44. Reuerendiſsimi Alphonſi Enriquez, circa quædam onera Portionarijs, & Capellanis incumbentia. pag.50.
Statutum 45. De officio Archipresbyteri, Parochi Oxomenſis, & Capellanorum, pag.52.
Statutum 46. De Scriptore diſtributionum Capellanorum, & miniſtrandis Capis ſericis, pag.54.
Statutum 47. De ordine Miſſarum dicendarũ per dictos Capellanos, pag.55.
Statutum 48. De Parocho Oxomenſi, pag.56.
Statutum 49. Prima Capellania Sancti Ioannis, pag.57.
Statutum 50. Secunda Capellania ſancti Petri Oxomenſis, pag.58.
Statutum 51. Tertia Capellania ſancti Dominici, p.59.
Statutum 52. Quarta Capellania Petri, & Pauli Apoſtolorum, ibi.
Statutum 53. De Quinta Capellania ſancti Michaëlis, pag.60.
Statutum 54. Sexta Capellania ſancti Laurentij, ibi.
Statutum 55. Septima Capellania ſanctæ Annæ, p.61.
Statutum 56. Octaua Capellania ſancti Sebaſtiani, ibi.
Statutum 57. Nona Capellania ſancti Iacobi Zebedei, ibi.
Statutum 58. Decima Capellania ſancti Bartholomæi, pag.62.
Statutum 59. Vndecima Capellania ſancti Auguſtini, pag.63.
Statutum 60. Duodecima Capellania ſancti Iacobi Alphæi, ibi.
Statutum 61. Decimatertia Capellania Transfixionis Beatæ Mariæ, pag.64.
Statutum 62. Decimaquarta Capellania Deſcenſionis Beatæ Mariæ, ibi.
Statutum 63. Decimaquinta Capellania ſanctæ Cathe-

ri-

rinæ, pag.65.
Statutum 64. Decimaſexta Capellania ſancti Alphonſi, ibi.
Statutum 65. Decima ſeptima Capellania ſancti Bartholomæi, pag.66.
Statutum 66. Decima octava Capellania ſanctorum Blaſij, & Nicolai, ibi.
Statutum 67. Decima nona Capellania, quæ eſt tertia ſancti Ildephonſi, pag.67.
Statutum 68. Vigeſima Capellania, quæ eſt Anniverſariorum, ibi.
Statum 69. Vigeſima prima Capellania, quæ eſt Sacrarij, pag.68.
Statutum 70. Vigeſima ſecunda Capellania, quæ eſt Veſtuarij, ſecunda ſancta Annæ. pag.69.
Statutum 71. Vigeſima tertia Capellania ſancti Andreæ, ibi.
Statutum 72. De Capellania Maiori, ibi.
Statutum 73. Quod Capellani tenentur habere curam Altaris ſibi præſignati, pag.71.
Statutum 74. De exortatione ad Capellanos. pag.72.
Statutum 75. De Officiali diſtributionū Capituli, ibi.
Statutum 76. De Viſitatoribus Domorum, & poſſeſsionum, qui vulgariter dicuntur Diputados, pag.73.
Statutum 77. Notarius, ſeu Secretarius Capituli, p.75.
Statutum 78. Æconomus, ſeu Maiordomus Capituli, pag.76.
Statutum 79. De Magiſtro Capellæ, ibi.
Statutum 80. De octo Infantibus Chori, pag.78.
Statutum 81. De duobus Infantibus Maioribus, pag.79
Statutum 82. De Pulſatore Muſicæ Organi, ibi.
Statutum 83. De officio Portarij, vel Ianitoris, pag.80.
Statutum 84. De barbitonſoribus, pag.81.
Statutum 85. De Campanarum pulſatoribus, pag.82.
Statutum 86. De iniurijs, & damno dato, ibi.

Sta-

Statutum 87. De luminaribus, & lampadibus Eccleſiæ, pag. 83.
Statutum 88. De pauperum eleemoſyna, & qualiter, & quis eam diſtribuit, pag. 85.
Statutum 89. De eleemoſyna quadrageſimæ, pag. 86.
Statutum 90. De eleemoſyna Feriæ Quintæ in Cœna Domini, quando lauantur pedes pauperum, pag. 87.
Statutum 91. De operario Fabricæ Eccleſiæ, pag. 88.
Statutum 92. De ordine Locādi dimidias Annatas, p. 89.
Statutum 93. De fructibus percipiēdis in abſentia, p. 90.
Statutum 94. De his qui moleſtantur in Præbēdis, p. 92.
Statutum 95. De ſolvendo debitis prouenientibus ex adminiſtrationibus, pag. 93.
Statutum 96. De Miſsis dicendis pro Capitularibus Defunctis, pag. 94.
Statutum 97. De mulis Capitularium, ibi.
Statutum 98. De ſigillo ſecreti Capituli ſervando, p. 95.
Statutum 99. De alternativa Canonicatuum inter Epiſcopum, & Capitulum, pag. 96.
Statutum 100. De ſolvenda legitima Eccleſiæ, & de fructibus percipiendis poſt mortem, pag. 97.
Statutum 101. Sequuntur iura Fabricæ pro legitima, pag. 100.
Statutum 102. Pro Cappis ſericis reficiendis, ibi.
Statutum 103. De Cura infirmorum, pag. 101.
Statutum 104. De ordine viſitandi domum Beneficiati, eamque tradendi ſucceſſori, pag. 103.
Statutum 105. Qualiter diſtribuantur triticum, & panes, qui offeruntur diebus Omnium Sanctorum, Defunctorum, & in Officijs ſolemnibus, pag. 104.
Forma iuramenti Epiſcopi, pag. 105.
Forma iuramenti pro Capitularibus, pag. 107.
Forma iuramenti pro Portionarijs, pag. 108.
Forma iuramenti pro Capellanis, pag. 109.

STA-

Statutum 87. De luminaribus, & lampadibus Eccleſiæ, pag. 83.
Statutum 88. De pauperum eleemoſyna, & qualiter, & à quis eam diſtribuit, pag. 85.
Statutum 89. De eleemoſyna quadrageſimæ, pag. 86.
Statutum 90. De eleemoſyna Feriæ Quintæ in Cœna Domini, quando lavantur pedes pauperum, pag. 87.
Statutum 91. De operatio Fabricæ Eccleſiæ, pag. 88.
Statutum 92. De ordine Locādi dimidias Annatas, p. 89.
Statutum 93. De fructibus percipiēdis in abſentia, p. 90.
Statutum 94. De his qui moleſtantur in Præbēdis, p. 92.
Statutum 95. De ſolvendo debitis provenientibus ex adminiſtrationibus, pag. 93.
Statutum 96. De Miſſis dicendis pro Capitularibus Defunctis, pag. 94.
Statutum 97. De mulis Capitularium, ibi.
Statutum 98. De ſigillo ſecreti Capituli ſervando, p. 95.
Statutum 99. De alternativa Canonicatuum inter Epiſcopum, & Capitulum, pag. 96.
Statutum 100. De ſolvenda legitima Eccleſiæ, & de fructibus percipiendis poſt mortem, pag. 97.
Statutum 101. Sequuntur iura Fabricæ pro legitima, pag. 100.
Statutum 102. Pro Cappis ſericis reficiendis, ibi.
Statutum 103. De Cura infirmorum, pag. 101.
Statutum 104. De ordine viſitandi domum Beneficiati, eamque tradendi ſucceſſori, pag. 103.
Statutum 105. Qualiter diſtribuantur triticum, & panes, qui offeruntur diebus Omnium Sanctorum, Defunctorum, & in Officijs ſolemnibus, pag. 104.
Forma iuramenti Epiſcopi, pag. 105.
Forma iuramenti pro Capitularibus, pag. 107.
Forma iuramenti pro Portionarijs, pag. 108.
Forma iuramenti pro Capellanis, pag. 109.

STA-

# STATVTA ALMÆ ECCLESIÆ OXOMENSIS.

## PER ILLVSTRISSIMVM, AC REVERENDISSIMVM DOMINVM

D. Sebaſtianum Perez, eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopum, Regiumque Conſiliarum, &c.

## DISPOSITA, CONFIRMATA, ET

nonnulla alia per eum immutata, & denuo edita.

### *PRÆFATIO IN STATVTA.*

CVM Primum ex munere Diuino, huic Eccleſiæ Oxomenſi præfecti ſumus, nihil prius curãdum eſſe nobis viſum eſt, quàm id quod ad dignitatem noſtræ Eccleſiæ Cathedralis, erga Diuinum cultum, & rectam gubernationem pertineret: vt ſicut loco & auctoritate hæc noſtra Eccleſia, cœteris in hac Diœceſi merito excellit, ſic moribus & inſtitutis eiſdem præluceret. Cum igitur Deo adiutore, & capituli noſtri ſtudio, & ſingulari erga res diuinas, iam inde à maioribus accepta propenſione, breui effectum ſit, vt præcandi ratio in Choro, & ritus in Altaris ſacrificio, aduerterem Eccleſiæ Romanæ formam à Summo Põtifice Pio Quinto, & Gregorio Decimotertio reſtitutam, reuocata ſint, ad ſtatuta eiuſdem Eccleſiæ recognoſcenda animum conuertimus. In his enim cõdendis, immutandis, diſponendis, anteceſſoris noſtri diligenter elaborauerunt: ſed præſertim D.D.

Petrus de Montoya, Alphonſus Enriquez, Petrus de Acoſta, Honoratus Iaonnes, Franciſcus Tello, Alphonſus Velazquez: deerant tamen multa, quæ temporis ratio addenda ſuadebat, quædam immutanda, aut omnino delēda. Quamobrem habita diligenti deliberatione cum venerabilibus, & chariſsimis Fratribus noſtris Priore, & Capitulo, & delectis ab eodem Capitulo duobus, ad ſingula Statuta expendenda, & examinanda nobiſcum, nempè Licenciato D. Ferdinando de Padilla præfatæ Eccleſiæ Priore, & Doctore Remigio Conchenſi, Canonico Sacræ Scripturæ, ſequentia Statuta condere, & obſeruanda proponere decreuimus. Nos igitur Sebaſtianus Dei, & Apoſtolicæ Sedis Regia gratia Epiſcopus Oxomenſis, Regius Conſiliarius ordinaria qua vtimur poteſtate, quæ ſequuntur Statuta, & ſanctiones, ex conſenſu, & aſſenſu noſtri Capituli in poſterum obſeruari decernimus, ſub pœnis quæ in eiſdem continentur, neminem tamen tranſgreſſorem peccato conſtringi volumus, niſi id ratio, & materia Statuti exigere videatur.

## Primum Statutum.

### *DE INGRESSV MINISTRORVM Eccleſiæ.*

PRincipio quoniam opportet Eccleſiæ Miniſtros in ſortem domini vocatos, non ſolum doctrina ſuo muneri congruenti prædictos eſſe, & in rebus Eccleſiaſticis probe inſtructos: ſed etiam habitu, geſtu, inceſſu, veſtitu, Sermone, & omni denique cultu, nihil niſi graue, & religione plenum præſeferre, ſecularibus negotijs minimè ſe immiſcere, familiares ſuos ad pietatem conuenienter erudire: vt omnibus actibus honeſtatem ſectentur, ſicut decet miniſtros myſteriorum Dei, ſuſpectam fœminarum conſuetudinem omnino vitare. Volu-

mus, & decernimus, de omnibus qui ad beneficia noſtræ Eccleſiæ Oxomenſis, vel miniſteria aliqua admittuntur à nobis, vel Capitulo, ſecundum cuiuſque propriam electionem, iuxtà Sacros Canones, & Eccleſiaſtica patrum decreta accuratam, & diligentem haberi inquiſitionem, vt intelligatur an moribus, & doctrina ſuo muneri congruēter viuant; ne in ijs, qui alios ſuo exemplo debent ad pietatem, & cultum Dei excitare, & in quos tanquam in Cathedrali, & prima huius Diœceſis Eccleſia delectos miniſtros oculos conijciunt, aliquid deprehendi poſsit, quod fideles offendat, cum Clericalis ordinis dedecore.

## Secundum Statutum.

### *DE GENERE.*

CVM Experimento compertum ſit, eos qui ex Iudæis, Sarracenis, Hæreticis, aut praua religionis, & ſectæ alicuius opinione imbutis originem ducunt, diſſidia in Communitatibus, Collegijs, & Capitulis plerumque excitare elatione quadam, & imperandi alijs cupiditate nimia intumeſcentes, diſcordias ſerere, & pacem qua vna omnes ſocietates conſtant perturbare, acceptantes gratiam, & priuilegium à fœlicis Recordationis Pio Quinto, huic Eccleſiæ conceſſum, in Statuti de hac re olim per Nos æditi confirmationem, & defenſionem, vt plenius ex litteris Apoſtolicis, quæ in noſtro Archiuo aſſeruantur conſtabit; volumus, & ſtatuimus eos tantum ad Eccleſiæ noſtræ Dignitates, Canonicatus, Portiones, Capellanias, & alia ſalaria miniſtris cantandi, & pſallendi in Choro, vel Eccleſiæ quocumque alio modo deſeruientibus deſignata admitti poſſe, qui vel nobiles ſint, vel in aliqua probata Academia ad aliquem gradum in Sacra Theologia, vel iure Canonico merito ſint promoti, vel ſaltem ex Chriſtianis antiquis

originem ducant,& nullo modo ex Hebræis, Sarracenis, Hæreticis, vel hominibus infamia aliqua notatis, ab Hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, vel denique à maioribus praua aliqua ſecta infectis, de quibus omnibus antequam aliquis ad noſtram Eccleſiam admittatur, diligẽs, & accurata inquiſitio præcedat, per eum confecta, quem maior pars capituli elegerit, recepto priùs ſolemniter ab eo iuramento de fideliter exequenda, & perferenda ad dictum Capitulum prædicta inquiſitione, iuxta receptam, & laudabilem noſtræ Eccleſiæ conſuetudinem, quam ſemper retineri, & exactè obſeruari volumus. Atque vt firma huius Statuti obſeruatio perſeueret decernimus, omnes Eccleſiæ huius miniſtros, cum primum ad eam admittuntur, iuramento ſe obſtringere ſolemni, ad huius Statuti obſeruationem, & defenſionem, neque ad poſſeſsionem admitti, niſi iuramentum huiuſmodi antecedat. Præterea iuxta laudabilem, & antiquam huius Eccleſiæ conſuetudinem, nulli liceat duas obtinere præbendas ſimul, vel ſimiles, vel diſsimiles, excepto Priori, cui eſt antiquitus ad nexus Canonicatus.

## Tertium Statutum.

### *PRO RECEPTIONE AD poſſeſsionem.*

CVM Primum aliquis Beneficiatus receptus fuerit ad poſſeſsionem, præcipimus, vt ſoluat fabricæ (vt hactenus ſeruatum eſt) ea quæ ſequuntur. Prior ratione Dignitatis, & Canonicatus, decem aureos; quælibet alia dignitas, tam de antiquis, quàm de modernis, ſex; quilibet Canonicus, quatuor; quilibet Portionarius, duos; quilibet Capellanus non mercenarius, nec pro alio inſeruiens, vnum.

(*.*)

# Quartum Statutum.

*QVOMODO RESIDERE TENEANTVR in Choro Beneficiati, & qualiter excuſentur.*

DEcernimus, & ordinamus, quod omnes Beneficiati huius noſtræ Eccleſiæ tam in dignitatibus, perſonatibus, & officijs conſtituti, quàm Canonici, Portionarij, Archipræsbiter, Vicarius, & Capellani, tam proprietarij, quàm mercenarij teneantur venire omni die (iuſto impedimento ceſſante) ad Matutinas, & ad omnes aliàs horas Canonicas, eiſque præciſsè intereſſe, necnon ad omnes Proceſsiones ordinarias, ſiue extraordinarias, quæ fiunt tam in Eccleſia, quàm extra eam, & faciant omnia alia quæ inferius ſunt notata, & ad officia eorum pertinent; vocamus autem intereſſentes non præciſsè illos, qui prædictis horis à principio, vſque ad finem interfuerint, ſed etiam dicimus Matutinis illum intereſſe, qui Chorum intrauerit antequam finiatur, *Gloria Patri*, Pſalmi, *Venite exultemus*, Officij maioris, & vſque ad finem Matutinorum perſeuerauerit. In Prima autem, & in omnibus alijs horis Canonicis pro intereſſente habeatur, qui ante finem primi Pſalmi cum *Gloria Patri* Officij maioris Chorum intrauerit. In Miſſa vero tam Anniuerſariorum, quàm Maiori, & Defunctorum, qui ante finem vltimi *Kyrie eleyſon* intrauerit, & vſque in finem perſeuerauerit, reſponſorium proceſsionis, & Pſalmi *Miſerere*, in Miſsis Defunctorum. In Miſſa vero maiori vſque in finem Reſponſorij, quod dicitur pro bonæ memoriæ Reuerendiſsimo Epiſcopo Barnaba. Diebus autem quibus nona dicitur ante prandium, tertia, & ſexta reputentur pro vna hora, & Miſſa, & nona pro alia. Itaque, qui tertiæ interfuerit ſextæ

teneatur intereſſe, & qui Miſſæ, Nonæ, alioquin multetur in tertia, vel in Miſſa reſpectiuè. Sacerdos vero qui Miſſam maiorem celebrauerit ſimul cum Diacono, & Subdiacono, vt præbenti de officio faciendo, in nullo deficiant, intereſſe cenſeantur omnibus horis, quæ ante Miſſam maiorem celebrantur, etiam ſi illis non interfuerint; qui vero temporibus præfatis Chorum non intrauerit, vel intrans, vſque in finem (vt dictum eſt) non perſeuerauerit, aut proceſsioni iam egreſſæ à Choro, vel à Capella maiori iunxerit ſe, pro non intereſſente habeatur, & amittat partem, vel portionem diſtributionum, vel Anniuerſarij, quæ pro illa hora, proceſsione, vel Miſſa ſibi contigiſſet, ſi debito tempore veniſſet, & vſque in finem (vt dictum eſt) perſeueraſſet, excepto ſi à Priore tunc in Choro præſente, vel in eius abſentia à maiori, ſub eo qui ibi loco eius Præſidens fuerit ex aliqua rationabili cauſa petita, & obtenta licentia, Dignitatem, vel Canonicum, Portionarium, vel Capellanum Chorum exire expediat, qui redire teneatur antequam dicatur *Deo gratias* illius horæ, vel Miſſæ, vel *Requieſcant in pace*, ſi fuerit Miſſa Defunctorum, aliàs pro non intereſſente illi horæ, vel Miſſæ (vt dictum eſt) habeatur, niſi infirmitas, ſeu iuſta, & rationabilis neceſsitas, aut Eccleſiæ vtilitas (de qua fidem faciat officiali diſtributionum) illum excuſauerit. Quibus caſibus non ſolum non redeundo, ſed etiam non veniendo Eccleſiam Beneficiatus præſens in noſtro oppido Burgi, vel abſens rediens (fide de hoc facta officiali diſtributionum) pro intereſſente reputetur. Si autem Chorum exierit ad celebrandum, vel ad locum, qui vulgariter Neceſſaria appellatur, ſufficiat tantummodo certiorem facere, officialem diſtributionum pitanciarum nuncupatum. Quod ſi commode antequam Officium (vt præfertur) ſit peractum redire non poterit, ſimiliter de hoc per alium certiorem reddat pitantiarum, pro præſenti etiam habeatur, qui

Offi-

Officio mortuorum dum fit in Capella maiori interfuerit, ſi defunctus fuerit conſanguineus, vel affinis, vſque ad tertium gradum incluſivè, & Dominus pro famulo, ac vice verſa, & teſtamentarij defuncti, quod ſi prædictum Officium fiat pro Beneficiato huius Eccleſiæ, duo tantum Beneficiati ex vicinioribus poſsint intereſſe Officio prædicto, & ſe ad id excuſare. Idem dicendum eſt de comitantibus corporis Chriſti Sacramentum cum defertur ad ægrotos, ſi per ſe detulerint palium, quod Sacramento ſuper impoſitum deferri ſolet, vel ſi opportunè venientes ad Templum, vt horis Canonicis intereſſent, obviam ſibi factum Sacramentum comitentur.

# Quintum Statutum.

## *DE FRVCTIBVS PERCIPIENDIS in abſentia.*

CVM Igitur inter aſsiduas noſtri animi curas illa potiſsimum vrgeamur per quam noſtrarum Eccleſiarum vſui, atque incremento, Cathedralis præcipuè, quæ aliarum caput debet eſſe, & Magiſtra, cuique maiori copulamur vinculo debitè prouideatur, intuentes in eadem Eccleſia, nonnullas conſuetudines, immò potiùs corruptelas eſſe, quæ Clericis vagandi materiam, ac Diuino cultui detrimentum afferunt, cum prætextu earum, nulla ex legitima cauſa abſentibus de ipſius Menſæ Capitularis redditibus, nec non cæteris ipſius Eccleſiæ emolumentis, tanquam præſentibus, certa portio tribuatur, quod neque iuri conſonat, nec rationi, præſertim in dicta noſtra Eccleſia, vbi tanta eſt paucitas Beneficiatorum. Nos igitur paterna ducti affectione, quantum à ſuperna gratia nobis conceditur, huiuſmodi conſuetudines funditus extirpare volentes; ſtatuimus, & ordinamus, quatenus quibuſcumque conſuetudinibus,

con-

conſtitutionibus, ac ſtatutis in contrarium habitis, non obſtantibus de cœtero, nulli ex Beneficiatis, Canonicis, ſeu in dignitate conſtitutis dictæ noſtræ Eccleſiæ, de fructibus, nec redditibus, prouentibus, obventibus, ſeu quibuſvis alijs, quocumque nomine cenſeantur emolumẽtis, præterquam præſentibus aliquid tribuatur, cepto pane, qui dicitur coctus, atque etiam abſentibus prætextu priuilegij, quoniam noſtræ intentionis non eſt, talibus in totum derogare tribuatur, (vt eſt moris) panis qui dicitur coctus, de cœteris autem, abſque quotidianis diſtributionibus medietas tantum tribuatur eorum quæ reciperent, ſi perſonaliter reſiderent, dum tamen tali priuilegio gaudentes, à feſto omnium Sanctorum vſque ad Natiuitatem Domini incluſivè ſua priuilegia cum fide de mora tracta Priori, ac Capitulo dictæ noſtræ Eccleſiæ in quolibet anno per ſe, vel per ſuum procuratorem veniant oſtenſuri, quam quidem oſtenſionem facere omittentibus (vt prædictum eſt) nihil de ſupradictis tribuatur pro illo anno, noſtris etiam, ac noſtrorum ſucceſſorum familiaribus continuis commenſalibus in ſeruicio noſtro occupatis decernimus, omnes redditus, ac emolumenta quocumque nomine cenſeantur quotidianis diſtributionibus, dumtaxat exceptis, tanquam præſentibus elargiri. Cœterum Canonicis, atque in dignitate conſtitutis, ratione priuilegij, vt dictum eſt, de redditibus, quos de camera pro veſtuario conſueuerunt recipere, nihil tribuatur præterquam reſidentibus, & intereſſentibus ad minus per quatuor menſes continuos, vel interpolatos, omni anno perſonaliter, vocamus autem quotidianas diſtributiones, eas quæ intereſſentibus ſingulis horis ſunt aſsignatæ, iuxta formã ſuperius perſcriptam, menſam verò communem, & Cameram non intendimus computari inter dictas diſtributiones.

(***)

Sex-

## Sextum Statutum.

### *DE REQVIE SVMENDA.*

CVM Certum ſit,quòd illa quæ alterna requie carent,diu durare nequeant, & in omnibus Cathedralibus Eccleſijs huius Regni habeant beneficiati dies certos in quibus,& ſi recreandi animi gratia,vel pro negotijs proprijs gerendis ab Eccleſia abeſſe contingat,nihilominus integrè fructus percipiunt, ac ſi adeſſent, & cum hæc noſtra Eccleſia ſita ſit in hoc noſtro oppido Burgi,vbi tam propter eius intemperiem, quàm propter continuam reſidentiam, Beneficiati maiori ratione egent recreatione, quam alij qui in alijs Cathedralibus degunt, cumque variè circa hoc ſecundum temporum curricula actum fuerit. Ideò aprobando cõſuetudinem, quæ modo ſeruatur.Statuimus,& ordinamus,quod Dignitates, & Canonici noſtræ Eccleſiæ cepta reſidentia, quæ incipit à Kalendis Ianuarij cuiuslibet anni,ſi per maiorem partẽ anni reſederint,poſsint abeſſe per tres menſes continuos,aut interpolatos, in quibus tam in Menſa communi, Camera, & diſtributionibus quã Anniuerſarijs præſentes habeantur, ac ſi perſonaliter reſiderent, præterquam in horis Matutinis, & Anniuerſarijs, quæ perſonalem reſidentiam exigunt, & quia ea quæ culpa carent,in damnum redundare non debent. Præcipimus, quod ſi quis Beneficiatus abſens,venienſque ad incipiendam reſidentiam,infirmitate,vel alio iuſto impedimento fuerit detentus,taliter quod nullatenus iter cõtinuare poſsit,teſtimonio authentico miſſo,vel allato poſsit frui ſua requie, ac ſi actualiter eam incepiſſet à Kalendis Ianuarij.Portionarij autem, & Capellani per duos menſes poterunt abeſſe, ſuaque requie frui,vt hactenus ſemper fuit obſeruatum, lucrenturque horas Canonicas, præter

Matutinas,& Anniuerſaria iuxtà ordinem Statuti de diſtributionibus quotianis.

¶ Præcipimus autem ( vt iam Statutum erat ) quod ſi aliquis Beneficiatus morte præuentus, non poſsit per maiorem partem anni ſeruire, vt mortuo gratiam non prohibeamus,acquirat requiem quam aſſumpſerat, ac ſi per maiorem partem anni reſediſſet. Cœterum præmiſſa omnia locum habeant dum modo Beneficiati, qui primam reſidentiam facere tenentur, eandem perfecerint(vt in Statuto qui de ea loquitur cõtinẽtur) & quoniã decens eſt,vt feſta præcipua decentius, & maiori comitatu Beneficiatorum celebrentur. Præcipimus, quod omnes Beneficiati, ac Portionarij, & Capellani huius Eccleſiæ,qui in hoc oppido Burgi præſentes fuerint, neque aliqua infirmitate detenti,in primis diebus Paſchatis,Natiuitatis ſcilicèt, Reſurrectionis, & Penthecoſtes, & in Feſto Circuncisſionis, & Epiphania Domini, & Dominica in Ramis Palmarum,& in triduo antePaſcha, atque in quinque Feſtis præcipuis Beatæ Mariæ Virginis,hoc eſt in Purificatione, Annuntiatione, Aſſumptione,Natiuitate, & Conceptione,omnibus horis interſint, nec poſsint dictis diebus ſua requie, quo quomodo frui, ſed irremiſsibiliter multentur illis horis, quibus ab fuerint,eaſque nullatenus poſsint acquirere.

## Septimum Statutum.

### *DE PEREGRINANTIBVS.*

SI Aliquis Beneficiatus votum emiſſerit viſitandi Baſilicas Apoſtolorum Romæ,& Sancti Iacobi in Cõpoſtella, & Deiparæ Virginis de Guadalupe,& de Balbanera,id poſsit efficere,petita priùs,& obtenta licentia à Capitulo noſtræ Eccleſiæ, præſtitoque iureiurando quod deuotione, & nullo alio negotio motus, nec in

frau-

fraudem ſeruitij Eccleſiæ tale votum emiſsit, cui Capitulo committimus, vt illam poſsit elargiri, aſsignando tali Beneficiato congruum tempus itineri perficiendo, videlicèt pro viſitatione Baſilicæ Apoſtolorum Vrbis Romanæ, non ſe extendat licētia vltra ſemeſtres, pro Beati Iacobi in Compoſtella vltra quinquaginta dies, pro Deipare Virginis de Guadalupe vltra quadraginta; & de Balbanera vltra duodecim dies, ad Eccleſiam verò rediens, teneatur teſtimonium afferre, vt cōſtet quod ſuam adimpleuit peregrinationem, ne occaſione vagandi detur, & tunc talis Beneficiatus lucretur omnes horas, ac ſi ſua requie vteretur; non tamen vltra tres Beneficiati poſsint ſimul abeſſe.

## Octavum Statutum.

### *DE EMERITIS.*

PRætereà ſi aliquis Capitularis per triginta quinque annos continuos, huic noſtræ Eccleſiæ inſeruierit, vt illi aliqua remuneratio ex tam diuturna reſidentia tribuatur. Statuimus, & ordinamus, quod omnibus horis pro intereſſente habeatur, dummodo interſit Miſſæ, vel Veſperis, & à Capitulo priùs teſtimonium habeat, quod plenè inſeruierit Eccleſiæ, & interfuerit horis Canonicis, etiam Matutinis per eoſdem triginta quinque annos continuos, ſed hoc Statutum eis non proſit, qui authoritate Apoſtolica coadiutorem elegerint.

## Nonum Statutum.

### *QVALITER INFIRMI EXCVSENTVR.*

IVRE Cautum eſt, vt ij qui infirmitate aliqua detenti ſunt, omnes fructus etiam diſtributiones quotidia-

nas integrè percipiant, & vt id commodius fieri poſsit, præcipimus, vt qui ſe excuſauerit pro infirmo, teneatur intra triduum per medicum ſe excuſare, alioquin deinceps pro abſenti habeatur, & cum primum ad valetudinem peruenerit, primus egreſſus ſit ad Eccleſiam tempore, quo horæ Canonicæ dicuntur, Chorumque directè cum habitu Beneficiatorum ingrediatur, gratias Deo pro ſalute, & liberatione ab egritudine redditurus; quod ſi ſecus fecerit omnes fructus, quos ob infirmitatem acquiſierat, amittat, & pro abſente reputetur. Sed ſi recreationem pro convaleſcentia petierit, teneatur illam perſonaliter in Capitulo petere; ne longius tempus eidem concedatur, quam pro exigentia ſuæ valitudinis, nec poſsit recreationis tempore, extra domum pernoctare. Si tamen aliqua vrgentiſsima cauſa occurrerit, vt ſibi expediat, alibi ſalutem quærere, Capitulum id poterit concedere, dum tamen priùs medicus per ſchedulam ſuo nomine ſubſcriptam, & iureiurando, in ea præſtito, quòd talis infirmus multum indiget diſcedere ab hoc oppido pro conualeſcentia, & tunc Capitulum aſsignet illi tempus abſentiæ, iuxtà neceſsitatem ſuæ infirmitatis. Ante diſceſſum tamẽ primum egreſſum faciat ad Eccleſiam (vt ſupra inualitudinarijs dictum fuit.) Finito verò tempore licentiæ, ſi redire non poterit, teneatur mittere Capitulo teſtimonium authenticum, coram iudice, ſcriba ſeu Notario facto, in quo medicus inter alios teſtes deponat, quod ſine graui periculo ſalutis, talis infirmus non poteſt ad Eccleſiam redire, & tunc terminus prorogetur, ſuper quo conſciẽtiam eorum oneramus. Prætereà ſi quis abſens tempore quo ad noſtram Eccleſiam reuertitur, aut reuerti decreuerit, ægritudine impediatur miſſo, vel allato ſimiliter teſtimonio authentico, habeatur præſens. Modo verè, & ex animo redire voluerit, in quo conſcientiam illius oneramus, vt ſi tunc redeundum ſibi non erat, ceſſante omni dolo, non faciat fructus ſuos.

## Decimum Statutum.

### *DE SILENTIO, ET DECENTIA ſeruanda in Choro.*

COEterum quoniã non ſufficit ad ſalutem propriã, & aſtantium ſalutare exemplum, Chorum intrare, & Diuinis Officijs intereſſe, niſi iſta omnia rationabiliter, & debito modo fiant: cum dicat Propheta in Pſalmo: *Pſallite Sapienter*, & Apoſtolus: *Rationabile obſequium veſtrum.* Statuimus, & ordinamus, quod omnes Beneficiati, cum Chorum intrauerint, deuotè, & humilitèr intrent coram ante Altare maius genuflectentes, & nulla interpoſita mora, cauſa recitãdi, vel aliquid aliud faciendi, vel dicendi, ſedes proprias honeſtè aſcendant, in quibus, vel ſedentes, vel ſtantes iuxtà laudabilem conſuetudinem præfatæ Eccleſiæ cantauerint, diligenter attendant, quod non tranſcurrendo, vel ſincopando, nec nimis celeriter, vel nimis tardè, nec nimium altè, nec nimium ſummiſè, ſed in omnibus ſeruato moderamine, Pſalmodiam, & alia diuina verba diſtinctè, & apertè pronuntient, moderationem Cantus, & tonum feſtiuitati, vel tempori congruentem accuratè obſeruãdo. Adijcientes quod omnes teneantur, dum Diuina peraguntur, aſſurgere, & genua flectere locis, & temporibus debitis, iuxtà ritum Eccleſiæ Romanæ, quem deſcribunt Breuiarij, & Miſſalis Romani noui Regulæ. In Choro autem, & circa Altare dum Miſſarum ſolemnia, & alia Diuina Officia celebrantur, ceſſent muſitationes quælibet, nulluſque ibidem alteri confabuletur, ne in illis locis, in quibus cum pace acquiete vota conuenit celebrare, ſeditionem excitet, conclamationem moueat, impetumvè cõmittat. Nulluſque ibi dum prædicta aguntur litteras legat, ſcribat, vel ſubſcribat, aut cum alio, neque ſecum

ſeorſum recitet. Poſtremo nihil aliud faciat, quod Diuinum poſsit Officium perturbare, ne vbi peccatorum veniam, à Deo impetrare intendimus, ibi oculos ſuæ Maieſtatis reddamus offenſos. Idem ſeruetur quando proceſſiones fiunt. Quod ſi ſecus aliquis fecerit per Priorem, vel eo abſente, per Præſidem multetur, ſemel monitus diſtributione illius horæ. Contumax verò diſtributionibus vnius diei ex horis iam acquiſitis, irremiſsibiliter, taliter quod nullus dictas horas requie, nec alia cauſa poſſit lucrari. Ob id tamen non intendimus prædictos Beneficiatos, ceptam reſidentiam infringere. Non tamen vltra ſe extendat multa abſque mandato Capituli.

## Vndecimum Statutum.

### *DE TEMPORE QVO BENEFIATI induunt capas nigras.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus, præcipimus, & mandamus, quod Beneficiati tam in dignitatibus conſtituti, quàm Canonici, & Portionarij, tempore hyemali omnes portent in Eccleſia capas nigras vniformes, tam informis, quàm in capucijs, & foldraturijs, & quod ſint eiuſdem coloris, ſicut conſuetum eſt, à Veſperis Defunctorum, quæ fiunt in die Omnium Sanctorum, vſque ad benedictionem Cerei, & Proceſsionem qua itur ad fontes in Sabbato Sancto. Præterquàm in Feſtis Paſsionis imaginis Chriſti, Conceptionis, Expectationis Partus, Puriſicationis, & Annuntiationis Beatæ Virginis, & in Feſtis Natiuitatis Domini, cum tribus diebus ſequentibus, & in Circunciſione, & Epiphania Domini. Inſuper deponantur in benedictione, & Proceſsione Dominicæ in Ramis Palmarum, Feria quinta in Cœna Domini ad Miſſam maiorem, cum conſecratur Chriſma, vſque ad Completorium illius diei excluſiuè. Deponantur etiam in omni-

busFeſtiuitatibus Apoſtolorū, quæ occurrūt à Kalēdis Nouembris, vſque ad Sabbatum Hebdomadæ Sanctæ, inter quos numeretur Conuerſio Sancti Pauli Apoſtoli. Et ſi aliquis Beneficiatus, ſeu Portionarius, contrarium fecerit, ſit priuatus omnibus diſtributionibus, donec conformet ſe cum alijs, in capa, ſuperpeliceo, & habitu prædicto. Quia iuſtum eſt, vt hij qui vnius profeſsionis ſunt, vt debent eſſe bonis moribus conformes, ita habitu ſint, & inceſſu.

## Duodecimum Statutum.

### *DE PROCESSIONIBVS.*

IN Proceſsionibus, quæ diebus Dominicis, & alijs Feſtiuitatibus fiunt in hac alma Eccleſia, Vexillo Sanctæ Crucis erecto, omnes qui in Choro interfuerint illico ei aſſurgant, & genuflectant, & manicis Vernali tempore ſuper peliciorum ſuper manus demiſsis. Hyemali autē, impoſitis caputijs caparum capitibus pileo coopertis, in omnibus Proceſsionibus intra, & extra Eccleſiam, etiam Anniuerſariorum, tam pro viuis, quàm pro defunctis, præfatam Sanctam Crucem, honeſtè, & Religioſè ſequantur cantantes, quo tempore nullus in Choro, vel alibi ſedere præſumat, niſi aliqua infirmitas, vel alia neceſsitas compellat. Donec toto Officio Proceſsionis peracto, Crux ſuo loco ponatur. Addimus etiam, quod qui Antiphonam, Pſalmum, vel Lectionem, Verſus, Reſponſoria, Alleluya, & Benedicamus cantauerit id faciat manicis demiſsis eiſdem, & caparum extremitatibus ad ima reiectis.

## Decimumtertium Statutum.

### *DE ORDINE CELEBRANDI LITANIAS, & alias Proceſsiones, & diuidendi illarum ſtipendia.*

PRæcipimus autem, vt tam in Proceſsionibus Litaniarum, quas Rogationes vocant, quam in alijs quibuſcumque Proceſsionibus, quæ fiunt extra Eccleſiam Sacerdos cum Diachonis celebret, & cantet Miſſam votiuam iuxtà intentum Proceſsionum, in loco ad quem talis proceſsio fit. Dictique Præsbiter, & Diachoni, apparatu celebrandi induti, huiuſmodi Proceſsiones, ab exitu huius noſtræ Eccleſiæ, vſque ad redditum, ad eamdem ſuo ordine comitentur, neque inde aliqua ex cauſa recedant. Diebus prætereà, quibus proceſsiones prædictæ fiunt, ante egreſſum Eccleſiæ, cantetur in Choro, Prima, Tertia, & Sexta; & Nona, quando dicenda eſt ante-prandium (vt ſuprà continetur) & dum prædictæ horæ cantantur, Miſſa popullaris illius diei in Altari maiori ſub Miſſa voce celebretur, à Sacerdote qui fueirt Hæbdomadarius Miſſæ maioris illius Hæbdomadæ. Et inſuper vt prædictæ Proceſsiones Litaniarum, ſeu Rogationum decentius, & cum maiori comitatu Beneficiatorum fiant. Præcipimus, vt ex diſtributionibus quotidianis Capituli, extrahantur decem, & ſex ducati auri, quatuor pro qualibet Proceſsione, qui diſtribuantur intereſſentibus tantum Dignitatibus, & Canonicis, proportionabiliter, ea ratione qua ſolent percipere fructus diſtributionum. Ex redditibus verò Portionariorum extrahantur, pro qualibet dictarum quatuor Proceſsionum, viginti quatuor argentei, & ſimiliter ex redditibus Capellanorum, viginti quinque argentei pro qualibet proceſsione, qui diſtribuantur intereſſentibus tantum. In alijs vero Pro-

ceſsionibus dotatis, ſiue dotandis, ſtipendium diuiditur in decem partes, quarum ſex recipit Prior, & Capitulum, ex quatuor reſiduis duæ dantur Portionarijs, reliquæ duæ Capellanis, Proceſsionibus autem votiuis, vbi nullum eſt ſtipendium teneantur omnes intereſſe legitima cauſa ceſſante, de qua faciat fidem Præſidi. Qui vero non interfuerit multetur duabus horis integris ex acquiſitis.

## Decimum quartum Statutum.

*DE HIS, QVI DIEBVS SOLEMNIBVS, & Feſtiuis tenentur capas ſericas aſſumere.*

STatuimus inſuper, quod Beneficiati omnes, tam Capitulares, quàm Portionarij, & Capellani iuxtà infraſcriptam tabulam teneantur capas ſericas, vt Cantores induere, hoc ordine ſeruato, quod in feſtis quibus eas aſſumere tenentur Dignitates, & Canonici, eaſdem ad primas, & ſecundas Veſperas, & ad Miſſam quando non fit Proceſsio, in Capella theſauri, ſeu Sacriſtiæ, & non in Choro ſemper induere teneantur, quibus induti cum ſceptris, & Portario ad Chorum veniant, in illis autem diebus in quibus fit Proceſsio, ſiue fiat cum capis ſericis, ſiue abſque illis, ad miſſam tantum in Choro illas induãt. Cœterum diebus quibus Canonici cum Portionarijs, vel Portionarij, & Capellani eas tenentur induere in Choro, & non alibi, tam ad vtraſque Veſperas, quàm ad Miſſam illas aſſumant; omneſque eas ſumentes, tam in Choro, quàm extra Chorum congruo tempore veniant, antequam dicatur, *Deus in adiutorium*, vel Miſſa incipiatur munus ſuum inchoaturi, & in finem vſque perdurent, nec poſsint capam dimittere vllo tempore maximè quãdo concionatur, niſi vrgẽte neceſsitate, de qua faciat certiorem Præſidem per ſe, vel alium, alio ſuo loco ſubro-

gato, alioquin Dignitas, & Canonicus diſtributionem, quæ pro tali labore datur ammittat, & conferatur illi, qui pro eo ſufficit, & inſuper irremiſsibiliter multetur diſtributione illius horæ. Idem cenſeatur de Portionarijs, & Capellanis. Abbas verò Sanctæ Crucis, nec alius Beneficiatus nullatenus ad Miſſam illius diei in quo concionaturus fuerit capam ſericam induat (etiam ſi per tabulã teneatur,) ſed à principio Miſſæ eam ſummat alius Beneficiatus, qui loco illius ſuccedit, & in finem vſque perſeueret, cui tribuatur ſtipendium, quod pro capa tribuendum erat ad Miſſam Abbati Sanctæ Crucis, ſeu Beneficiato concionaturo, vt indecentiam ſumendi capam, & protinus eam relinquendi omnino tollatur, omnes prætereà ad Matutinas horas prædictis diebus congruo tempore veniant, Pſalmum, *Venite exultemus*, dicturi. Qui vero non peruenerit, diſtributione illius horæ multetur, & pariter Portionarij, & Capellani, qui ſtipendium non habent pro tali labore multentur ſimiliter diſtributione illius horæ in qua capas ſumere tenebantur, & inſuper quilibet Portionarius teneatur ſoluere duodecim dipondia, & quilibet Capellanus octo, quæ conferantur per Præſidem illis, qui loco illorum ſubrogati fuerint; ſtipẽdium autem, quod Dignitatibus, & Canonicis datur pro ſumendis capis extrahitur ex redditibus ſuarum diſtributionum, & pro Miſſa dantur cuilibet Dignitati decem, & octo dipondia, & totidem pro Veſperis cuiuſque diei; cuilibet vero Canonico tertia pars minus.

## Decimum quintum Statutum.

### *DE ORDINE, ET CELEBRATIONE Miſſarum.*

ITEM, quia cognouimus, quod propter deſsidiam, vel negligentiam aliquorum in dicta noſtra Eccleſia Be-

ne-

neficiatorum, Diuina Officia, tam in horis Canonicis, quàm in Miſſarum ſolemnijs, præmaximè in Feſtis duplicibus, non ita vt decet ſolemniter celebrantur, ſalubriter vt tenemur duximus prouidendum. Statuentes, & ordinantes, quòd ad horas Canonicas, & Miſſas ſolemnium Feſtiuitatum in Cantoribus Capas ſericas, & ſceptra ſumentibus, & pulpito, vel litrico aſsiſtentibus ſeruetur ille ordo, qui in Tabula infraſcripta continetur, quam nos cum aſsiſtentia, conſilio, & aſſenſu duorum Capitularium, quorum alter per nos alter per Capitulum noſtrum fuit nominatus, iuxtà Sacri Concilij Tridentini decreta, & iuxtà ordinem Miſſalis, & Breuiarij, per fœlicis recordationis Pium Papam Quintum, in dicti Sacri Concilij executionem nuper æditi, ordinamus. In qua etiam continetur quibus diebus Proceſsiones, Sermones, ac Officium Matutinale ſolemne futurum ſit, eandemque Tabulam, vt melius obſeruetur his noſtris Statutis inſeri mandauimus, cuius tenor talis eſt.



## *HÆC TABVLA, QVÆ ERAT ANTIQVATA,*

*Feſtorum Duplicium, quæ celebrantur hoc anno milleſimo additur, extenditur*

| DIES. | FESTA. | MISSÆ. | CAPERI. |
|---|---|---|---|
| | IANVARIVS. | | |
| 1 | CIRCVNCISIO DOMINI. | Dñi Oxomenſis. | Dñi Aza, Cant. & 2. Canonici. |
| 2 | Octaua Sancti Stephani. | | Portionarij, & Capellani. |
| 3 | Octaua S. Ioannis. Evág. | | Portionarij, & Capellani. |
| 4 | Octaua SS. Innocentium. | | Portionarij, & Cappellani. |
| 6 | EPIPHANIA DOMINI. | Dñi Cantoris. | Dñi Theſaur. Eſchol. & 3. Can. |
| 13 | Octaua Epiphaniæ. | | Portionarij, & Capellani. |
| 15 | SS. NOMINIS IESV. | | Portionarij, & Capellani. |
| 17 | Antonij Abbatis. | | Portionarij, & Capellani. |
| 18 | Cathedra S. Petri Romæ. | | Portionarij, & Capellani. |
| 20 | Fabiani & Sebaſtiani M. | | Portionarij, & Capellani. |
| 21 | Agnetis Virg. & Mart. | | Portionarij, & Capellani. |
| 23 | ILDEFONSI, ARCH. ET C. | Domini Prioris. | Dñi Oxomenſ. Sorien. & 1. Can. |
| 24 | Feſt. Deſpõſationis B. M. | | Portionarij, & Capellani. |
| 25 | Conuerſio S. Pauli. | | Portionarij, & Capellani. |
| 27 | Ioannis Chriſoſtomi. | | Portionarij, & Capellani. |
| 28 | IVLIANI EPISC. CONCH. | | Portionarij, & Capellani. |
| 31 | Petri Nolaſci. | | Portionarij, & Capellani. |
| | FEBRVARIVS. | | |
| 2 | PVRIFICATIO B. M. Virg. | Domini Prioris. | Dñi Aza, Cant. & 2. Canonicis. |
| 3 | Blaſij Epiſcop. & Mart. | Dignitatis, vel Can. | Caperi ſequentes celebranti. |
| 4 | Octaua S. Iuliani. | | Portionarij, & Capellani. |
| 7 | Romualdi Abbat. | | Portionarij, & Capellani. |
| 8 | Ioannis de Mata Conſ. | | Portionarij, & Capellani. |
| 22 | Cathadra S. Petri Anth. | | Portionarij, & Capellani. |
| 24 | MATHIÆ APOSTOLI. | Dñi 1. Canonici. | Dñi 2. Canonici, & Pottionarij. |
| | Feria 4. Cinerum. | Domini Prioris. | |
| | MARTIVS. | | |
| 1 | SS. Angelorum Cuſtodiũ. | | Portionarij, & Capellani. |
| 7 | Thomæ de Aquino Conſ. | Domini Prioris. | Dñi Oxom. & Sorienſ. & 1. Can. |
| 9 | Franciſcæ Viduæ Reg. | | Portionarij, & Capellanſ. |
| 12 | Gregorij Papæ. | | Portionarij, & Capellani. |
| 18 | Gabrielis Archangeli. | | Portionarij, & Capellani. |
| 19 | Ioſeph Confeſſ. | Dñi 4. Canontci. | Dñi 3. Canonici, & Portionarij. |
| 20 | Ioachin Confeſſ. | | Portionarij, & Capellani. |
| 25 | ANNVNTIATIO B. M. V. | Dñi Abb. S. Barthol. | Dñi Decan. Abb. S. ✠. & 4. Can. |
| | Feſt. Sept. Dol. B. M. V. | | Portionarij, & Capellani. |
| | Dominica in Palmis. | Domini Prioris. | |
| | Feria 5. in Cœna Domini | Domini Prioris. | Dñi Aza, Cantor, & 2. Canonici. |
| | Feria 6. in Paraſceve. | Domini Prioris. | |
| | Sabbato Sancto. | Celebrãs nominatur (à Capitulo. | |
| | RESSVRRECTIO DOMINI. | Domini Prioris. | Dñi Oxom. Sorionſ. & 1. Canon. |
| | Die 2. Paſchæ. | Domini Sorienſis. | Dñi Theſaur. Schol. & 3. Canon. |
| | Die 3. Paſchæ. | Domini Theſaurarij. | Dñi Abb. S. Bart. & S. ✠ & 4. Can. |
| | Dominica in Albis. | | Portionarij, & Capellani. |

*PONITVR IVXTA OCCVRRENTIAM ſexcenteſimo octageſimo primo, & quia ei aliquid denuo in duas paginas.*

| PROCESSIO. | SERMO. | MATVT. | OFFERT. | COMMVN. | OCTAVÆ. |
|---|---|---|---|---|---|
| IANVARIVS. | | | | | |
| Proceſsio. | Sermo. | | | | |
| Proceſsio cum (Pluvialibus. | Sermo. | Matutinum. | Offertorium. | | Octaua. |
| Proceſ.cũ pluv. | | | Offertorium. | | |
| | | | | | Octaua. |
| Proceſsio. | | | Offertorium. | | |
| Proceſsio publicationis Bullæ. | Sermo. | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| | Sermo. | | | | |
| Proceſ.cũ pluv. | Sermo. | Matutinum. | Offertorium. | | |
| Preceſsio. | | | | | |
| P.oceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | Communio ge(neralis. | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio benedictionis Cerei. | | | | | |
| Proceſ.cũ pluv. | | Matutinum. | Offertorium. | | Octaua. |
| | Sermo. | | | | |

# *HÆC TABVLA, QVÆ ERAT ANTIQVATA,*

*Feſtorum Duplicium, quæ celebrantur hoc anno milleſimo additur, extenditur*

| DIES. | FESTA. | MISSÆ. | CAPERI. |
|---|---|---|---|
| | APRILIS. | | |
| 2 | Franciſci de Paula. | | Portionarij,& Cappellani. |
| 4 | Iſidori Archiep. Hiſpal. | | Portionarij,& Capellani. |
| 5 | | | |
| 11 | Leonis Papæ. | | Portionarij,& Capellani. |
| 13 | Hermenegildi Mart. | | Portionarij,& Capellani. |
| 17 | Aniceti Mart. | | Portionarij,& Capellani. |
| 25 | Marci Evangeliſtæ. | Dñi 2. Canonici. | Dñi 3. Canonici,& Portionarij. |
| 29 | Petri Martyris. | | Portionarij,& Capellani. |
| 30 | Catharinæ Senenſis Virg. | | Portionarij,& Capellani. |
| | MAIVS. | | |
| 1 | PHILIPPI, ET IACOBI AP. | Dñi 3. Canonici. | Dñi 3. Canonici,& Portionarij. |
| 2 | Athanaſij Epiſc.& Conf. | | Portionarij,& Capellani. |
| 3 | INVENTIO S. CRVCIS. | Domini Prioris. | Dñi Aza, Cant.& 2. Canonici. |
| 4 | Monicæ Viduæ. | | Portionarij,& Capellani. |
| 6 | Ioannis Ante Pot. Latin. | | Portionarij,& Capellani. |
| 8 | Apparitio S. Michaëlis. | | Portionarij,& Capellani. |
| 9 | Gregorij Nacian. Epiſc. | | Portionarij, & Capellani. |
| 12 | Nerei, Achilei, Domitilæ | | Portionarij,& Capellani. |
| 15 | Iſidori Agricolæ Conf. | Dñi 1. Canonici. | Dñi 2. Canonici,& Portionarij. |
| 22 | Octaua S. Iſidori. | | Portionarij,& Capellani. |
| 25 | Vrbani Papæ,& Mart. | | Portionarij,& Capellani. |
| 26 | Philippi Nerij Confeſſ. | | Portionarij,& Capellani. |
| 30 | FERDINANDI REG. HISP. | | Portionarij, & Capellani. |
| | ASCENSIO DOMINI. | Domini Sorienſis. | Dñi Aza, Cant. & 2. Canonici. |
| | Octaua Aſcenſionis. | | Portionarij,& Capellani. |
| | PENTECOSTES. | Domini Prioris. | Dñi Oxomenſ. Sorien.& 1. Can. |
| | Die 2. Pentecoſtes. | Domini Azenſis. | Dñi Theſaur. Eſchol. & 3. Can. |
| | Die 3. Pentecoſtes. | Dñi Abbat. S. ✠. | Dñi 1. Canonici,& Portionarij. |
| | FESTVM SS. TRINITATIS | Domini Scholaſtici. | Dñi Abb. S. Bart.&S ✠ &4. Can. |
| | FEST. CORPORIS CHRISTI | Domini Prioris. | Dñi Oxom. Sorionſ.& 1. Canon. |
| | Octaua Corporis Chriſti. | | Portionarij, & Capellani. |
| | IVNIVS. | | |
| 6 | Norberti Epiſc. & Conf. | | Portionarij,& Capellani. |
| 11 | Barnabæ Apoſt. | Dñi 4. Canonicis. | Domini 3. Canonici,& Portion. |
| 13 | Antonij de Padua. | | Portionarij, & Capellani. |
| 14 | Baſilij Mag. Epiſ.& Conf. | | Portionarij, & Capellani. |
| 24 | NATIVIT. S. IOAN. BAPT. | Domini Decani. | Dñi Abb. S. Bart.&S ✠ &4. Can. |
| 29 | PETRI, ET PAVLI APOST. | Domini Prioris. | Dñi Oxom.& Sorienſ.& 1. Can. |
| 30 | Commemoratio S. Pauli. | | Portionarij,& Capellani. |

*PONITVR IVXTA OCCVRRENTIAM ſexcenteſimo octageſimo primo, & quia ei aliquid denuo in duas paginas.*

| PROCESSIO. | SERMO. | MATVT. | OFFERT. | COMMVN. | OCTAVÆ. |
|---|---|---|---|---|---|
| APRILIS. | | | | | |
| Proceſsio *Lita-* | *niarum ad* | *S.Lucã, & ibi* | *celebrat Miſ-* | *ſam Dominus* | *Theſaurarius.* |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | Offertorium. | | |
| Proceſsio *Votiua* | *poſt ſextam* | *ad S.Lucam.* | *& ibi Celebrat* | *Miſsã de S.Do-* | *mitila D.Sup.* |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | Sermo. | | | | Octaua. |
| Proceſ.cũ pluv. | | Matutinum. | Offertorium. | Communio. | Octaua. |
| | Sermo. | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | Matutinum. | | | Octaua. |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | Octaua. |
| Proceſ.cũ pluv. | Sermo. | Matutinum. | Offertorium. | Communio. | Octaua. |

*HÆC TABVLA, QVÆ ERAT ANTIQVATA, Feſtorum Duplicium, quæ celebrantur hoc anno milleſimo additur, extenditur*

| DIES. | FESTA. | MISSÆ. | CAPERI. |
|---|---|---|---|
| | IVLIVS. | | |
| 1 | Octaua S. Ioannis Bapt. | | Portionarij,& Cappellani. |
| 2 | VISITATIO B. MAR. VIR. | Domini Decani. | Dñi 2. Canonici,& Portionarij. |
| 6 | Octaua Ss. Petri,& Pauli. | | Portionarij,& Capellani. |
| 14 | Bonauenturæ Doct. | | Portionarij,& Capellani. |
| 16 | TRIVMPHI S. CRVCIS. | | Portionarij,& Capellani. |
| 22 | MARIÆ MAGDALENÆ. | Dñi 5. Canonici. | Dñi 4. Canonici,& Portionarij. |
| 23 | Apollinarij Epiſcopi. | | Portionarij,& Capellani. |
| 25 | IACOBI APOST.&PAT.Hiſ. | Domini Prioris. | Dñi Oxom.& Sorienſ.& 1.Can. |
| 26 | ANNÆ MATRIS B. MAR. | | Portionarij,& Capellani. |
| 31 | Ignatij Confeſſ. | | Portionarij, & Capellani. |
| | AVGVSTVS. | | |
| 1 | Octaua S. Iacobi. | | Portionarij,& Capellani. |
| 2 | PETRI EPISC. ET PATR. huius Almæ Eccleſ. | Domini Prioris. | Dñi Aza, Cant. & 2. Canonici. |
| 3 | B. MARIÆ DE MERCEDE | | Portionarij,& Capellani. |
| 4 | DOMINICI CONF. HVIVS Almæ Eccl. Pat.& Cano. | Domini Prioris. | Dñi Oxomenſ.& Sori.& 1.Can. |
| 5 | DEDICATIO S. M. AD NIV. | | |
| 6 | TRANSFIGVRATIO DOM. | Domini Azenſis. | Dñi Theſaur. Eſchol. & 3. Can. |
| 9 | Octaua S. Petri Oxomenſ. | | Portionarij, & Capellani. |
| 10 | LAVRETII MARTIRIS. | Dñi Abb. S. Barthol. | Dñi Dec.& Abb. S. ✠.& 4. Can. |
| 11 | Octaua S. Dominici. | | Portionarij,& Capellani. |
| 12 | Claræ Virginis. | | Portionarij,& Capellani. |
| 13 | Petri Advincula. | | Portionarij, & Capellani. |
| 14 | Stephani & Soc. Monac. Mart. Caradignæ. | | Portionarij, & Capellani. |
| 15 | ASSVMPTIONIS B. MAR. | Domini Prioris. | Dñi Oxom. Sorienſ.& 1. Canon. |
| 16 | Hyacinthi Conf. | | Portionarij, & Capellani. |
| 17 | Octaua S. Laurentij. | | Portionarij,& Capellani. |
| 20 | Bernardi Abbatis. | | Portionarij, & Capellani. |
| 22 | Octaua Aſſumpt. B. M. | | Portionarij, & Capellani. |
| 24 | BARTHOLOMEI APOST. | Dñi Abb. S. Barthol. | Dñi 1. Canonici,& Portionarij. |
| 28 | AVGVSTINI EPIS.& CON. | Præbendæ Inquiſit. | Domini 3. Canonici,& Portion. |
| 29 | Decollatio S. Ioan. Bapt. | | Portionarij, & Capellani. |
| 30 | Roſæ à S. Maria. | | Portionarij,& Capellani. |
| | SEPTEMBER. | | |
| 4 | Octaua S. Auguſtini. | | Portionarij,& Capellani. |
| 8 | NATIVITAS B. M. VIRG. | Domini Prioris. | Dñi Oxom. Sorien.& 1. Canonici |
| 10 | Nicolai de Tolentini. | | Portionarij,& Capellani. |
| 14 | EXALTATIO S. CRVCIS. | Dñi Abbat. S. ✠. | Dñi Abb. S. Bart. Dac.& 4. Con. |
| 15 | Octaua Natiuitat. B. M. | | Portionarij, & Capellani. |
| 17 | Ss. Nominis B. M. Virg. | | Portionarij,& Capellani. |
| 19 | Ianuarij,& Socior. Mart. | | Portionarij & Capellani. |
| 20 | Euſtachij,& Socior. Mar. | | Portionarij,& Capellani. |
| 21 | MATTHÆI APOST. & EV. | Dñi 6. Canonici. | Dñi 4. Canonici,& Portionarij. |
| 22 | Impreſ. Stigm. S. Franc. | Dñi 1. Canonici. | Dñi 2. Canonici,& Portionarij. |
| 29 | DEDICATIO S. MICHAEL. | Dñi 7. Canonici. | Dñi 5. Canonici,& Portionarij. |
| 30 | HIERONYMI DOCT. | Dñi 1. Canonici. | Dñi 2. Canonici,& Portionarij. |

*PONITVR IVXTA OCCVRRENTIAM.*
*ſexcenteſimo octageſimo primo, & quia ei aliquid denuo in duas paginas.*

| PROCESSIO. | SERMO. | MATVT. | OFFERT. | COMMVN. | OCTAVÆ. |
|---|---|---|---|---|---|
| IVLIVS. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſ.cũ pluv. | Sermo. | Matutinum. | Offertorium. | | Octaua. |
| Proceſ.cũ pluv. | Sermo. | Matutinum. | Offertorium. | | Octaua. |
| Proceſ.cũ pluv. | Sermo. | Matutinum. | Offertorium. | | Octaua. |
| Proceſsio. | | | | | |
| | | | | | Octaua. |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſ.cũ pluv. | Sermo. | Matutinum. | Offertorium. | Communio. | Octaua. |
| Proceſ. *Votiua* | *fit hodie poſt* | *ſextam cũ S.* | *Rocho, & de eo* | *celeb. Miſ. à præ* | *ced. Hebdom.* |
| *Hodie poſt No-* | *nam cele-* | *brat Miſſam* | *Defunctorum* | *Dominus Sub-* | *prior, & fit* |
| (Proceſsio *Cum* | *nouem Reſ-* | *ponſorijs.* | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | Octaua. |
| Proceſsio. | Sermo. | Matutinum. | Offertorium. | | Octaua. |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |

## HÆC TABVLA, QVÆ ERAT ANTIQVATA, Feſtorum Duplicium, quæ celebrantur hoc anno milleſimo additur, extenditur

| DIES. | FESTA. | MISSÆ. | CAPERI. |
|---|---|---|---|
| | OCTOBER. | | |
| | *Dominica 1. huius Men-* | *ſis celebratur.* | |
| | FESTVM SS. ROSA. B.M.V. | Dñi Cantoris. | Dñi Theſaur. Eſchol. & 3. Can. |
| 2 | SS. Angelorum Cuſtodiū. | | Portionarij, & Cappellani. |
| 4 | Franciſci Confeſſoris. | Domini Prioris. | Dñi Aza, Cant. & 2. Canonici. |
| 6 | Brunonis Conf. | | Portionarij, & Capellani. |
| 15 | Tereſiæ Virg. | | Portionarij, & Capellani. |
| 18 | LVCÆ EVANGEL. | Dñi 8. Canonici. | Dñi 6. Canonici, & Portionarij. |
| 25 | Gabini, & Socior. Mart. | | Portionarij, & Capellani. |
| 28 | SIMONIS, ET IVDÆ APOS. | Dñi 9. Canonici. | Dñi 4. Canonici, & Portionarij. |
| | NOVEMBER. | | |
| 1 | FESTVM OMNIVM SS. | Domini Prioris. | Dñi Oxomen. Sorienſ. & 1. Can. |
| 2 | Comm. Omniū Defunct. | Domini Prioris. | Dñi Oxom. Sorienſ. & 1. Canon. |
| | *Vna ex Dominicis huius* | *Menſis per Ordina-* | *rium aſsignata celebratur.* |
| | FESTVM PATROC. B M.V. | Domini Scholaſtici. | Dñi Decan. Abb. S. ✠. & 5. Can. |
| 4 | Caroli Borromei. | | Portionarij, & Capellani. |
| 8 | Octaua Omnium Sanct. | | Portionarij, & Capellani. |
| 9 | Dedicatio Baſilicæ Salvat. | | Portionarij, & Capellani. |
| 11 | Martini Epiſc. & Confeſ. | Domini Prioris. | Dñi Aza, Cantor, & 2. Canonici |
| 12 | Trāslatio S. Petri Oxom. | | Portionarij, & Capellani. |
| 15 | Eugenij Archiep. Tolet. | | Portionarij, & Capellani. |
| 18 | Dedi. Baſilicar. Pet. & P. | | Portionarij, & Capellani. |
| 19 | Eliſabet Reginæ Hungar. | | Portionarij, & Capellani. |
| 20 | DEDICAT. HVIVS ALMÆ Eccleſiæ. | Domini Oxomenſis. | Dñi Aza, Cantor, & 2. Canonici |
| 21 | PRÆSENTATIO B. M. V. | | Portionarij, & Capellani. |
| 22 | Ceciliæ Virg. & Mart. | | Portionarij, & Capellani. |
| 24 | Fœlices de Valois. | | Portionarij, & Capellani. |
| 25 | Catharinæ Virg. & Mart. | Domini Suprioris. | Dñi 3. Canonici, & Portionarij. |
| 27 | Oct. Dedicat. huius Eccl. | | Portionarij, & Capellani. |
| 30 | ANDREÆ APOSTOLI. | Præbendæ Inquiſit. | Dñi 3. Canonici, & Portionarij. |
| | DECEMBER. | | |
| 3 | Franciſci Xaverij. | | Portionarij, & Capellani. |
| 6 | Nicolai Epiſc. | | Portionarij, & Capellani. |
| 7 | Ambroſij Epiſ. & Ec. Do. | | Portionarij, & Capellani. |
| 8 | CONCEPTIO B. M. VIRG. | Domini Prioris. | Dñi Oxom. Sorien. & 1. Canonici |
| 9 | Leocadiæ Virg. & Mart. | | Portionarij, & Capellani. |
| 13 | Luciæ Virg. & Mart. | | Portionarij, & Capellani. |
| 15 | Octaua Concept. B. M. | | Portionarij, & Capellani. |
| 18 | EXPECTATIO B. M. VIRG. | Dñi Abbat. S. ✠. | Domini 2. Canonici, & Portion. |
| 21 | THOMÆ APOSTOLI. | Dñi 1. Canonici. | Dñi 2. Canonici, & Portionarij. |
| 22 | PASSIO IMAG. CRVCIFIXI | Domini Decani. | Dñi Abb. S. Bart. S. ✠. & 4. Can. |
| 25 | NATIVITAS DOMINI. | Domini Prioris. | Dñi Oxomenſ. Sori. & 1. Canon. |
| | Miſſa de Galli Cantu. | Dñi Subprioris. | Ijdem Caperi. |
| | Miſſa de Luce poſt Primā. | Hebdomadarij. | |
| 26 | STEPHANI PROTOMAR. | Dñi Oxomenſis. | Dñi Aza, & Cant. & 2. Canonici. |
| 27 | IOANNIS APOST. ET EVA. | Dñi Cantoris. | Dñi Theſaur. Schol. & 3. Cano. |
| 28 | SS. INNOCENTIVM. | Hebdomadarij. | Portionarij, & Capellani. |
| 30 | Translatio S. Iacobi. | | Portionarij, & Capellani. |
| 31 | SILVESTRI PAPÆ. | | Portionarij, & Capellani. |

# *PONITVR IVXTA OCCVRRENTIAM ſexcenteſimo octageſimo primo, & quia ei aliquid denuo in duas paginas.*

| PROCESSIO. | SERMO. | MATVT. | OFFERT. | COMMVN. | OCTAVÆ. |
|---|---|---|---|---|---|
| OCTOBER. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | Matutinum. | Offertorium. | | |
| *Hodie, dũ cãtã-* Proceſsio *Ad* | *tur Prima, SacellumS.* | *et Tertia, Heb Lucæ, vbi ce* | *domadarius re- lebrat Miſſam* | *citat Miſsã, & D. Octauus Ca-* | *poſt Sextam fit nonicus.* |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſ.cũ pluv. | | Matutinum. | Offertorium. | Communio. | Octaua. |
| Proceſ.cũResp. | | | Offertorium. | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſ.cũ pluv. | | Matutinum. | Offertorium. | | |
| Proceſ.cũ pluv. | | Matutinum. | Offertorium. | | Octaua. |
| *Hodie, dũ cãtã* Proceſsio *Ad* | *tur Prima, SacellumS.* | *et Tertia, Heb Cathirinæ vbi* | *domadarius re- celebrat Miſ-* | *citat Miſsã, & ſam Dominus* | *poſt Sextam fit Subprior.* |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſ. cũ pluv. | Sermo. | Matutinum. | Offertorium. | | Octaua. |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſsio. | | | | | |
| Proceſ.cõ pluv. | | Matutinum. | Offertorium. | Communio. | Octaua. |
| | | | Offertorium. | | Octaua. |
| | Sermo. | | | | Octaua. |
| Proceſsio. | | | | | Octaua. |

QVando verò fit Officium ſolemne pro Defunctis, celebrat Miſſam Subprior, vel Portionarius, qui loco ipſius ſuum munus exercet, & recipit pro qualibet Miſſa duos argenteos. Singulos verò Diachoni recipiunt, ſed ſi tale Officium fiat pro Beneficiato huius Eccleſiæ, recipiunt pro medietate. Miſſæ autem de Feria, quæ celebrantur Quatuor Temporibus anni, & diebus quadrageſsimæ, quando fit Officium duplex, & Miſſæ quæ celebrantur tempore Aduentus ad lucem cantantur (vt moris eſt) ſuo ordine; per Sacerdotem, qui fuerit Hebdomadarius Miſſæ maioris in Hebdomada proximè præterita, cantatur prima Miſſa; ſequentes verò Miſſæ cantatur ſucceſsiuè à Beneficiatis proximè intereſſentibus in eodem Choro, & deinceps ab alijs alterius Chori, vt ſinguli ad ſingulas Miſſas cantandas teneantur; omnes autem Miſſæ de Feria in Quadrageſsima celebrentur in cantu, & non ſub Miſſa voce, præterquam in diebus Annuntiationis Beatæ Mariæ, & Sancti Mathiæ. In omnibus etiam Sabbatis totius anni Miſſa Beatæ Virginis celebratur in cantu per Hebdomadarium proximæ futuræ Hebdomadæ poſt primam, niſi in Sabbatum incidat Feſtum nouem Lectionum, tunc autem Miſſa Beatæ Virginis celebratur, ſub Miſſa voce, eodem tempore, quo Prima in Choro cantatur. Semper autem celebrabitur, cum Diachono, & Subdiachono. Ex his vero Miſsis, quatuor tantum dotauit Reuerendiſsimus Epiſcopus Alphonſus Fõſeca. Quibus diebus, & in omnibus Octauis quoruncumque Feſtorum, & in omnibus etiam Dominicis totius anni, & in Vigilijs ſolemnibus, tam ad Laudes, quàm ad Miſſam, & quando fit Officium ſolemne pro Defunctis, Duo ex Iunioribus Portionarijs, qui vltimi dicuntur, Officium cantorum cum capis, & ſceptris in Choro exerceant. Et in diebus Ferialibus, ſeu Feſtorum ſimplicium totius anni, præterquam à Septuageſsima vſque ad Reſurrectionem Domini. Vltimus ex Portionarijs Chori

in quo ſunt, cantus illius Hebdomadæ aſſumat ſceptrum in Officio Miſſæ ( quæ omnia ita hactenus obſeruata ſunt). In ſupradictis, & in omnibus alijs, ſi vltimi Portionarij non interfuerint, ad id tenentur Portionarij, qui Choro interfuerint ordine antiquitatis ſeruato. Idem etiam ſeruetur in Capellanis in his, quæ ad eorum munus pertinent. Sed ſi aliquis ex Dignitatibus, & Canonicis ſit extra Eccleſiam, ſuppleat pro eo Dignitas, vel Canonicus ſequens in eodem Choro. Quòd ſi defuerit in aliquo Choro Dignitas, vel Canonicus, ſuppleatur ex alio Choro, taliter quòd Dignitas pro Dignitate, & Canonicus pro Canonico, id munus adimpleat. Celebrantes verò ſupradicti dicant ſuis Feſtis primos, & ſecundos Veſperos, niſi quando in Dignitate conſtitutus ſequenti die celebrare tenetur, tũc enim ſufficiat dicere primos Veſperos. Sed ſi aliquis in firmitate, vel alia neceſsitate fuerit impeditus, ita vt non poſsit munus ſuum conuenienter adimplere, alium in dignitate conſtitutum ſubſtituat. Quòd ſi negligens fuerit, Prior, vel Præſes alium eligat, cui dentur duo argentei pro labore, & inſuper multetur in vno argenteo, pro fabrica, expenſis illius, qui tenebatur celebrare. Quando verò quis fuerit abſens, ſubſequens in ſede munus adimpleat (vt conſuetum eſt.) Subprior vero in Veſperis, & Miſſa ſupplere obligatus exiſtat dato ſibi conſueto ſtipendio. Receptum eſt autem, antiqua conſuetudine noſtræ Eccleſiæ, quam obſeruari volumus, vt Epiſcopo celebranti aſsiſtant, & miniſtrent Dignitates, aut Canonici, iuxtà ritum Pontificalis Romani. Dignitati verò celebranti, miniſtrent ſemper Portionarius, & Capellanus. Similiter, & Canonico celebranti pro Dignitate ſolemnibus Feſtis tantùm, alijs diebus cuicumque celebranti, miniſtrant duo Capellani, etiam ſi celebrans ſit Portionarius. In diebus autem quibus celebratur Proceſsio, Pontifice celebrante, vel alio quocumque, Capellanus indutus veſtibus Subdiachoni defert Crucem, me-

dius

dius inter Ceroferarios, & ita conuentio facta eſt, inter Portionarios, & Capellanos. Si verò contigerit, Subdiachonum Canonicum celebranti Epiſcopo miniſtrare: is dum Proceſsio celebrabitur, non erit indutus publicè veſtibus Subdiachoni, ſed finita Proceſsione indutus miniſtrabit Epiſcopo.

## Decimum ſextum Statutum.

*QVOD CAPELLANI PROPRIETARII tantum poſsint Miſſam nouam in Altare maiori celebrare.*

CApellani autem (dummodo ſint ex proprijs, & intitulatis) & nullus alius ex inferioribus miniſtris Eccleſiæ poſsint in Altare maiori, nouam Miſſam (dumtaxat) publicè cantare, de licentia tamen Capituli, & niſi in ſupradicto caſu in dicto Altari celebrandi licentia nullatenus poſsit impartiri.

## Decimum ſeptimum Statutum.

*QVIBVS DIEBVS EPISCOPVS, MAtutinum, Veſperas, & Miſſam Pontificalem celebrat, cum vult.*

IN Die Natiuitatis Domini noſtri IeſuChriſti primas Veſperas, Matutinum, & Miſſam.

In Epiphania Domini.

In die Purificationis Beatæ Mariæ benedicit Candelas, & Proceſsionem.

Feria Quarta in Capite ieiunij, benedicit, & imponit Cineres.

In Annuntiatione.

Dominica in Ramis Palmarum, benedicit Ramos, & Proceſsionem.

Ma-

Matutinum tenebrarū à Feria Quinta ad Sabbatum.

Feria Quinta in Cœna Domini, Miſſam, & Chriſma.

Feria Sexta in Paraſceves, Miſſam, vel ſaltem defert Euchariſtiam de Monumento.

Sabbato Sancto.

Dominica Reſurrectionis Domini, Miſſam.

In Aſcenſione Domini, Miſſam.

In die Penthecoſtès, Primas Veſperas, & Miſſam.

In die Inuentionis Sanctę Crucis, poſt Miſſam maiorem oſtendit Epiſcopus lignum Crucis, & eo abſente, vel impedito, id faciat qui celebrauerit Miſſam.

In die Corporis Chriſti Primas Veſperas, & Proceſſionem, tam eam quæ fit per Eccleſiam, ante Primas Veſperas diei, & per Octauam cum Sacro Sancto Euchariſtiæ Sacramēto, quàm eā, quæ fit in ipſa die per oppidū.

In Feſto Sancti Ioannis Baptiſtæ.

In Feſto Petri, & Pauli.

In die Aſſumptionis Beatæ Mariæ, Primas Veſperas, & Miſſam.

In die Beati Petri Oxomenſis.

In Natiuitate Beatæ Mariæ.

In Feſto Omnium Sanctorum.

In omnibus Defunctis.

In Dedicatione Eccleſiæ.

In Feſto Sancti Michaëlis.

Epiſcopo verò abſente, vel impedito ſuccedit Prior, vt in tabula continetur.

## Decimum octavum Statutum.

### *DE TONSVRA, ET CORONA Beneficiatorum.*

QVantùm conferant externæ Ceremoniæ ad Chriſtianam pietatem, omnibus notum eſt. Ideò iu-

re cauetur, quod Clerici neque comam, neque barbam nutriant, & ad id præcipuè tenentur, qui in Cathedralibus, vt alijs luceant poſiti ſunt. Quapropter ſtatuimus, & ordinamus, quòd Beneficiati huius noſtræ Eccleſiæ tam Dignitates, & Canonici, quàm Portionarij, Capellani, Sacriſtæ, Infantes, & cœteri Miniſtri, teneantur ad tonſuram, & raſuram coronamque aptandam præcipuè in Feſtis ſolemnibus, ad id etiam teneantur Hebdomadarij ſuam Hebdomadam incepturi. Quod qui non fecerit, monitus à Præſide multetur omnibus horis, ſine ſpe remiſsionis, donec obediat Præſidi.

## Decimum nonum Statutum.

### *DE PRIMA RESIDENTIA FACIENDA.*

SEd vt ad præordinata, & alia, quæ ad Diuinum Cultum concernunt Beneficiati in hac noſtra Eccleſia commodius inſtruantur: Statuimus, & ordinamus, quòd receptus de nouo ad Dignitatem, Canonicatum, vel Portionem teneatur reſidere ſine interpollatione, ſaltem per vnam horam in qualibet die, ſcilicèt per maiorem partem anni à die qua incœperit reſidentiam, non obſtante quocumque priuilegio ſtudij, vel familiaritatis. Quod ſi dictam reſidētiam infregerit, denuò teneatur illam inchoare, ac ſi nihil reſediſſet, amittatque irremiſibiliter quicquid lucratus fuerit, & ante plenarium huius reſidentiæ complementum die recreationis minimè poſsit frui. Prætérquàm ſi fuerit aliquo morbo detentus in hoc oppido, vel ſi ex licentia Capituli (de conſilio tamen medici) opus habeat aliquo proficiſci ad medendū tali morbo, vel ad Sacros ordines ſuſcipiendos, ſi tunc tēporis in hac noſtra Eccleſia non celebrantur; in his enim caſibus, & quando ex commiſsione, & mandato Capituli ad negotia mittitur, etiam ſi ſemel inceperit reſiden-

tiam poteſt abeſſe, nec ideò cenſendus eſt reſidentiam infregiſſe. Quòd ſi prædictam reſidentiam non dum inchoauerit, nullatenus (etiam in caſibus prædictis) poſsit vllos fructus percipere. Et quia ſæpè contingit, ceptam reſidentiam infringere, vel præbendam reſignare, aut ab illius poſſeſsione lite dimoueri, & eam non adimplere, quibus caſibus non poteſt talis Beneficiatus, fructus facere ſuos. Id circo ſtatuimus, & ordinamus, quòd de cœtero, nulli ex prædictis Beneficiatis, Dignitatibus, Canonicis, vel Portionarijs, cōferantur aliqui fructus antequàm reſidentiam adimpleuerit.

## Vigeſsimum Statutum.

### *DE OFFICIO PRIORIS, QVI EST prima Dignitas maior poſt Pontificalem.*

NE invanum Statuta condamus, ſed quæ Diuinum cultum concernunt, & miniſteria, vel Officia Eccleſiæ contingunt debitæ executioni mandentur. Ideò nos præceptores ſufficientes qu miniſtros adhibere, quorum diligenti cura, & laborioſa ſolicitudine, nihil de illis contemptum, vel neglectum prætereat, ſed omnia, vt docet, opere compleantur. Et quia inter perſonas memoratæ noſtræ Eccleſiæ ſecunda poſt nos in dignitate, & ſolicitudine eſt Prior, de ea Prius agendum eſt. Prioratus (vt reperimus) eſt dignitas, quæ habet primam ſedem in Choro, poſt noſtram Pōtificalem, ſcilicèt Collateralem ad ſiniſtram. Prioris eſt, quod ſicut alios præcedit dignitate, ſic doctrina, & moribus antecellat. Debet enim exhortari illos quorum Curam ſuſcepit, virtutes ſequi, abſtinere à vicijs, atque hæc noſtra Statuta provt vnumquemque concernunt, diligenter obſervare; & in his omnibus Sanctæ converſationis ſeipſum exemplum præbere, ne dicatur ſibi illud Euangelicum Medi-

ce curate ipſum: inquietos corripiat, arguat, & increpet inſolentes, in his quæ cultum Divinum concernunt. Et in quibus per ſe nõ poterit, ad nos, vel ſucceſſorem noſtrorum referat incunctanter. Præterea debet eſſe de primis, qui ad Chorum veniunt, & de vltimis qui recedunt. Sæpè debet celebrare, præmaximè Feſtiuitatibus ſuperius annotatis in tabula, & alios ad celebrandum commonere. Item eius officium eſt, per Ianitorem, vel eius ſubſtitutum in negotijs cõmunibus Capitulum conuocare, bis tantum in Hebdomada, niſi caſus neceſsitatis, vel vtilitas Eccleſiæ ſe obtulerit, cauſamque vocationis exprimere per prædictum Ianitorem, & in arduis per ſchedulam nocte præcedenti ſi videat expedire, ſub pœna multæ omniũ redditũum, & diſtributionum vnius diei, duorum, vel trium. Quòd ſi vocatus aliquis, & congregato Capitulo, venire contempſerit iterum vocatus, imponitur pœna arbitrio Capituli, quæ multa, ſeu pœna ſemper ſit fabricæ Eccleſiæ appicanda; quòd ſi aliqud in dicto Capitulo proponatur de nouo, niſi omnibus conſentientibus, non diffiniatur, ſed differatur in ſequens Capitulum (vt cuncta maturius peragantur). Et ſi ad vota, ſeu ſuffragia, peruenerint, quilibet Capitularis poſsit petere, vt id ſecretè fiat, & Capitulum efficere teneatur. Cœterum præciſsè inhibemus, ne cui poſsit tribui peſſeſſio alicuius Dignitatis, Canonicatus, Portionis, vel Capellaniæ tã Apoſtolica, quàm ordinaria auctoritate collatæ, neque aliqua informatio de generis origine, & puritate examinari, niſi omnibus Capitularibus, in hoc oppido Burgi præſentibus, ad Capitulum die præcedenti convocatis, per ſchedulam in qua cauſa vocationis exprimatur. Item, ad Priorem pertinet, quod anniuerſaria, & memoriæ defunctorum, dicantur, celebrentur, & cantentur; cum omni diligentia, & ſolicitudine intendat, quod Capellaniæ in hac noſtra Eccleſia conſtitutæ ſine defectu celebrentur, & cantentur. Item, ſolicitam cu-

ram gerat de redditibus, & poſſeſsionibus Capitularis menſæ anniuerſariorum, & diſtributionum, & quòd debitè adminiſtrentur, & nihil de eis, per in curiam, vel negligentiam perdatur, vel alienetur. Et ſi aliquid reficiendum eſt, quod reficiatur, vel reparetur, communicato tamen Capitulo, ſine cuius, vel maioris illius partis conſenſu, nihil circa prædicta valeat diffiniri.

## Vigeſimum primum Statutum.

*QVOD PRIOR PONIT SVBPRIOREM, ET Viceſupriorem, & Portarium.*

COE terùm ad officium Prioris expectat dare, vel conſignare prædictæ noſtræ Eccleſiæ, vnum ex Canonicis Subpriorem, & vnum ex Portionarijs ſuum coadiutorem, atque etiam Portarium, qui omnes habiles ſint, & ſufficientes ad ſubportandum onera prædictis officijs incumbentia, quod ſi tales non fuerint, Capitulũ non teneatur illos admittere. Immò ad illos, & quemlibet eorum repellendum illi comittimus vices noſtras. Quòd ſi tunc ſecundò, ſufficientem Subpriorem, aut ſubſtitutum, aut Portarium dederit, admittatur. Si verò inſufficientes vt prius, recurratur ad nos, vel ſucceſſorem noſtrum, vt ſciatur, quod ſuper hoc vellimus, vel vellit, diſponere, aut mandare. Et in tali caſu, & cum Prior abſens, & extra Diœceſim fuerit, ad nos, vel ſucceſſores noſtros devolvatur prouiſio prædictorum Subprioris, Coadiutoris, & Portarij. Item, quando aliquis ſepulturam petierit in Clauſtro, illius, vel in eius abſentia Subprioris pro eo eſt locum congruum tali ſepulturæ conſignare. Intra corpus verò Eccleſiæ pertinet ad Capitulum.

## Vigeſimum ſecundum Statutum.

*QVOD PRIOR EST EXECVTOR POST Epiſcopum iſtorum Statutorum.*

RVrſus cum dictus Prior Statutorum huius Eccleſiæ,poſt nos,executor exiſtat, in qua præpoſitus dicitur,cui debent omnes tanquam Patri obedire,executionem ipſorum illi dum Præſens fuerit committimus. Itaque illa obſeruet, & faciat ab omnibus inuiolabiliter obſeruari. Sed ſi Prior abſens fuerit, ordinamus quòd maior Dignitas,ſequens;vel ſi non fuerit Dignitas, antiquior Canonicus de præſentibus,in illorum executione ſuccedat.Dummodo tales, qui in dicta Præſidentia ſucceſſerint ſint in Sacris conſtituti.Quòd ſi Prior, vel qui Præſes fuerit obſeruantia prædictorum Statutorum,vel executioni illorum, ſeu alicuius ipſorum negligens, vel tranſgreſſor extiterit: Capitulum auctoritate noſtra de illa tranſgreſsione,vel negligentia illum cõmoneat, & arguat. Quòd ſi ſic cõmonitus ſe corrigere neglexerit, multas in his noſtris Statutis contentas illi poſsit imponere,& eas vice noſtra executioni mandare.

## Vigeſimum tertium Statutum.

*QVOD IN QVARTA FERIA HEBDOmadæ Sacræ Prior commoneat omnes Capitulares ad mutuam charitatem.*

IN quarta verò Feria Hebdomadæ Sanctæ Prior,aut Præſes per Portarium omnes Capitulares conuocet, & in loco Capitulari,Epiſcopus,(ſi voluerit) ſeu dictus Prior,vel Præſes commoneat, & exhortetur eos in Domino ad mutuam charitatem. Quòd ſi illi conſtite-

rit,odium,diſcordiam, vel zizaniam inter aliquos eorũ, Sathanam ſeminaſſe,vt in die Paſchatis mundum triticum in Domini horreum congregetur cõmoneat eos, & in amicitiam,& Chriſti charitatem reducat. Et ſi (quod abſit)in priſtinum odium pertinaces fuerit per Capitulũ compellantur. Atque vt omni ſcrupulo expulſo, mentis candore ad Dominicam Cœnam omnes accedant (vti tales viros decet).Hortamur in Domino, & ordinamus, quod ſibi ipſis altervtrum condonent,& veniam petant. Et cum Epiſcopus, Prior,ſeu Præſes prædicta perfecerit, finiendo Capitulum,flexisgenibus dicat: *Pſalmum Miſerere*:Et ℣. *Salvos fac ſeruos tuos.* ℟. *Deus meus.* ℣. *Mitte eis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Syon tuere eos. Domine Exaudi*, &c. *Et clamor*, &c. *Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo.* Oratio. *Reſpice quæſumus Domine*,&c.

## Vigeſimum quartum Statutum

### *DE OFFICIVM ARCHIDIACONORVM.*

IN hac noſtra Eccleſia ſunt tres Dignitates, quas Archidiaconos vocamus. Primus eſt Archidiaconus Oxomenſis,qui habet primam ſedem in Choro poſt noſtram Pontificalem ad dexteram. Secundus eſt Archidiaconus Sorienſis,qui habet ſuam ſedem immediatè, poſt ſedem Prioris ad ſiniſtram noſtræ ſedis Pontificalis. Tertius eſt Archidiaconus Accſis,qui habet ſuam ſedem immediatam poſt Archidiaconũm Sorienſem,& illi contiguã: ad eos pertinet ſuos Archidiaconatus viſitare. Et in Eccleſia noſtra, ſicut alibi Beneficiati tenentur ad reſidentiam,& ad Miſſas,quæ illis in Tabula aſsignantur, & præter has ad Hebdomadas, quæ per Anni circulum illis obuenerit.

(*_*_*)

# Vigeſimum quintum Statutum.

## *DE OFFICIO CANTORIS.*

CAntor cuius ſedes in Choro eſt immediatè poſt Archidiaconum Oxomenſis, debet eſſe perſona diſcreta, & Cantus Eccleſiæ memoriter retinere, & illos decenter promere. Ad ipſum expectat (vt in ordinario antiquo præfatæ noſtræ Eccleſiæ reperimus) reſponſoria cantãda impartire. Et in die Veneris, quis ſit futurus Hebdomadarius Miſſæ maioris, deſignare. Debetque Chorũ in cantu, & lectura regere, Hymnos, Antiphonas, tam in Choro, quàm in Proceſsionibus ordinarijs, & votiuis, quæ intra Eccleſiam, & extra fiunt, inchoare, ſeu incipiendas à Beneficiatis denuntiare, niſi cum Beneficiati Chorum cum capis, & ſceptris regunt, præter, *Te Deum laudamus*, quod incipiendum eſt ab Epiſcopo, vel Præſide. Et ne turbatio in Choro fiat, omnes ſequantur eum in cantu, ſine aliqua contradictione. Idcirco prouidere debet diligenter de omnibus, & libros in cantu corrigere tenetur, dubiaque de his in Capitulo ante diem proponere, & cũ peritis, & antiquis communicare, quod ſi non fecerit, & forte in aliquo erratum fuerit, non fiat in Choro, dum horæ dicuntur, redargutio, ſed poſteà in Choro, vel in Capitulo cum charitate arguatur. Et ſi expediens fuerit ad arbitrium Prioris, & Capituli mulctetur. Tenetur etiam ad Miſſas, & capas, quæ illi in Tabula aſsignantur, & ad Hebdomadas, quæ per annum illi obuenerint. Propter iſta, quæ officium ſuum concernunt debet eſſe de primis, qui ad Matutinas, & alias horas Canonicas venire debent, & vſque in finem perſeuerare. Item eius officij eſt, annuatim eligere octo pueros bene morigeratos, qui dicuntur Infantes Chori, & hi bene legant, & bene cantent, quos in Vigilia Natiuitatis Domini, qua die

Officiales Eccleſiæ,& Capituli nominantur,& deputantur,teneatur Capitulo præſentare,vt de prædictis pueris, idoneos quoſque approbet,minus verò ſufficientes reijciat.Eoſdem ipſe cantor tenetur inſtruere diligenter in Reſponſorijs,& Antiphonis cantandis, & in Lectionibus Matutinorum Kalenda Homilia in Capitulo legendis,& congrue diſtinguẽdis,iuxtà rationem punctorum, clauſularum,interrogationum. Cœterum Cantoris eſt, diſtribuere inter Beneficiatos, libros cantandarum Proceſsionum,in Proceſsionibus Dominicalibus, & in alijs Proceſsionibus ſolemnium Feſtiuitatum, diſtribuere capas ſericas,vnicuique ſecundum locum, & Dignitatem, quam tenet in Eccleſia,Ita tamen, quod Sacerdoti celebranti,notabilior capa ſit reſeruata,vel illa quæ pro Sacerdotibus celebrantibus eſt aſsignata.

## Vigeſimum ſextum Statutum.

### *QVOD CANTOR PONIT ſuccentorem.*

SEd ne propter Cantoris abſentiam Eccleſia in prædictis,quæ Officium ſuum concernunt detrimentum patiatur,ordinandum duximus, quòd ex quacumque cauſa contingat illum abſentem eſſe, vel Diuinis Officijs,non intereſſe,aut prædicta omnia, non ita cõmodè exercere poſſe,alium idoneum,& ſufficientem teneatur ſubſtituere,qui illa omnia pro eo ſuppleat, eundemque in Capitulo die conſueta nominare, & proponere,vt ſi idoneus ſit admittatur, alioquim abijciatur; cui de ſuis redditibus ſatisfacere tenetur. Quod ſi prædictus Cantor non fecerit.Prior,& Capitulum arbitrariè, vt viderint,(quod diſcretioni ſuæ cõmitimus) illum multent, & alium loco ſui, ad illa explenda in ſui abſentia ſubrogatum faciant, cui de illius redditibus, & proventibus,ſatisfaciant competenter. *Super hoc eſt concordia.*

# Vigeſimum ſeptimum Statutum.

## *QVOD CANTORIS EST STALLARE in Choro, & cæteris extraneis, ſedes aſsignare.*

PRætereà ſupradicti Cantoris eſt Beneficiatos omnes, qui per Capitulum ad poſſeſsionem recipiuntur, in Choro ſtallare, & ſi fuerint Capitulares locum in Capitulo eis aſsignare. Extraneos prætereà, ad Chorum venientes, honorare, & in locis decentibus collocare. Itaque Dignitas cuiuſcumque Eccleſiæ Metropolitanæ, vel Cathedralis, iuxtà Priorem, vel Archidiaconum Oxomenſem collocetur; Canonicus verò prope vltimam Dignitatem, Portionarius iuxtà vltimum Canonicum, & Capellanus in potiori ſede Capellanorum collocetur. Dignitas autẽ cuiuſcumque Eccleſiæ Collegiatæ inter Dignitates. Canonicus vero inter Canonicos Portionarius inter Portionarios, & Capellanus inter Capellanos collocetur. Prouincialis cuiuſcumque Ordinis ſtalletur, vt Dignitas Eccleſiæ Cathedralis. Prior verò cuſtos, ſeu Guardianus alicuius ordinis, vt Canonicus Cathedralis Eccleſiæ collocetur. Aliæ verò perſonæ, ſiue Clerici, ſeu graduati collocentur ad arbitrium Cantoris, quo abſente Prior, vel Præſes alium loco Cantoris ſubrogabit, qui extraneos ad Chorum venientes collocet. Capitulum vero quando alicui tribuitur poſſeſsio, ſuo arbitrio in eius abſentia, alium Beneficiatum nominet ad ſtallandum in Choro, vel Capitulo eum quem admittit.

# Vigeſimum octavum Statutum.

## DE OFFICIO SACRISTÆ, *vel Theſaurarij.*

SAcriſta, vel Theſaurarius (cuius ſedes eſt immediata, & contigua poſt ſedem Cantoris) debet eſſe ſecura, & honeſta perſona, vitæ probabilis, in cuius cuſtodia ſunt veſtimenta, & ornamenta, & vaſa, reliquiæ, & armarium librorum, & Theſaurus Eccleſiæ, & omnia quæ pertinent ad Diuinum cultum. Quæ quanto ſanctiora, tantò maiori cura ſeruanda ſunt. Debet autem ea prædictus Sacriſta, vel Theſaurarius (qui cuſtos etiam dicitur) frequenter videre, & ſolicitus eſſe, ne atinea, vel rubigine, vel læſione vlla corrumpantur, qui ſi quemque ex Sacerdotibus, vel Miniſtris Eccleſiæ aliquid, ex his quæ ad cultum Dei pertinent negligenter, aut in honeſtè tractare viderit, non differat eum reprehendere; debet quoque ſcire numerum librorum, qui ſunt in Armario, & extra armarium. Et ſi aliquid ex eis, quæ in ſua cuſtodia ſunt, ex licentia Prioris, & Capituli obtenta foris alicui præſtitum fuerit, debet ab eo, qui commodato accipit, cautionem proprio nomine ſignatam accipere. Quòd ſi aliquid ex eis culpa, vel negligentia ſua, vel ſuorum, officialium, perditum, deſtructum, vel deterioratum fuerit illud ſoluere, vel reficere teneatur. Quòd ſi non fecerit per Priorem, & Capitulum de redditibus ſuæ adminiſtrationis æquivalens rei perditæ, vel deſtructæ ematur, & ſi deterioratum eſt reficiatur. Quod vt melius fiat; Statuimus, & ordinamus, quod quando aliquis nouiter promouetur ad prædictam adminiſtrationem Sacriſtiæ, vel Theſaurariæ, in craſtinum ſuæ promotionis aſsignentur per Capitulum duæ ipſius perſonæ de antiquioribus, quæ recipiant ab officialibus anteceſſoris Sacriſtæ, vel The-

ſaurarij libros,veſtimenta,ornamenta,vaſa,reliquias, & alia quæ ad Diuinum cultum , & Theſaurum Eccleſiæ pertinent, & illa coram notario,& teſtibus, illi nouiter promoto traddant,& omnia in poteſtate ſua ponant , & ipſe inuentarium omnium illorum,apud ſe habeat.Quod ſi de illis traddendis,aliquid perditum,alienatum demolitum,vel deterioratum culpa,vel negligentia prædeceſſoris Sacriſtæ,vel Theſaurarij,aut officialiũ ſuorum prædicti deputari repererint , Priori , & Capitulo denuncient,qui de redditibus illius,vel de bonis ab eo relictis, tantum accipiant,quantum ſufficiat ad emendum æquiualens perdito,vel alienato, ſeu ad reparandum demolitum,vel deterioratũ. Tenetur inſuper dictus Theſaurarius,ad Miſſas , & capas,quæ illi in Tabula aſsignantur, & ad Hæbdomadas illi per annum occurrentes.

## Vigeſimum nonum Statutum.

*QVOD DVÆ PERSONÆ IN QVOLIBEL biennio deputentur ad viſitationem eorum,quæ ſub cuſtodia Theſaurarij ſunt.*

SImiles duas perſonas de antiquioribus Prior,& Capitulum deputet de biennio in biennium , in Vigilia Natiuitatis Domini,quæ ſacrarium,& omnia prædicta, quæ ſub cuſtodia Theſaurarij ſunt, viſitent , & occulariter videant,& de omnibus per inuentarium , quod apud Notarium Capituli eſt,diligenter inquirant,vt ſi aliquid additum , vel innouatum eſt , in prædicto inuentario, ſcribant,vel ſcribi faciant,& ſi aliquid deficit , & deſtructum,vel deterioratum eſt , nobis, vel ſucceſſori noſtro, & in noſtra,vel ſucceſſoris abſentia Priori, & Capitulo ſupradictis ſignificare non differant , qui condolentes damno Eccleſiæ taliter prouideamus , vel prouideant, quod illa ſe inueniſſe Procuratores quærentes , quæ Ieſu

Chri-

Chriſti ſunt gaudeant, nō quærentes, quæ ſua ſunt, rationabiliter conqueratur.

# Trigeſimum Statutum,

## *QVOD THESAVRARIVS NOMINAT ſuos Officiales.*

RVrſus cum prædictus Sacriſta, vel Theſaurarius onera ſuæ adminiſtrationi incumbentia ſubportare, vel labores illi annexos per ſeipſum ſupplere non poſsit, datur ſibi facultas, eligendi quinque perſonas, cum quibus illa onera partiatur, & labores condiuidat, quarum vna quæ fidelis, & diligens ſit, & in Sacerdotio conſtituta, ad Cuſtodiam Sacrarij, & illorum quæ in Sacrario ſunt deputetur, aliæ duæ honeſtæ, & boni teſtimonij, quæ Sacriſtæ vocantur, pro miniſterio Altaris debent eſſe in Sacris ordinibus conſtitutæ, quoad fieri poſsit, quòd ſi facta ſufficienti diligentia intra, & extra Eccleſiam (ſuper quo eius conſcientiam oneramus) non fuerint repertæ perſonæ in Sacris conſtitutæ, prædictus Theſaurarius, referat nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, & in noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum abſentia, referat Capitulo, vt prouideamus, vel prouideant, id quod in tali caſu, commodius fieri poſsit. Aliæ duæ ſolicitæ ſint in inſpectione horarum, diurno, & nocturno tempore corpora libuſque viribus potentes ad pulſationem Cāpanarum. Quas quidem ſupradictas quinque perſonas annuatim die conſueto in Capitulo præſentet, vt ſi tales fuerint, ſicut dictum eſt, Prior, & Capitulum illas approbent, & recipiāt ſin minus illas abijciant, & repellant, & aliàs idoneas, & ſufficientes præſentet; ſed de ſingularum dictarum quinque perſonarum officijs, infrà ſuis locis determinabitur.

(*.*)

# Trigeſimum primum Statutum.

## *DE ONERIBVS AD QVÆ TENETVR Theſaurarius.*

ONera præterea dicti Theſaurarij, vel Sacriſtæ, ſunt quæ ſequuntur;tenetur enim prouidere huic noſtræ Eccleſiæ,de cera tā in Altari,quàm in Choro modo infraſcripto.Dabit nāque pro Altari maiori omnibus diebus ſimplicibus,quando non occurrit aliquod Feſtum Duplex,& per Octauas omnium Feſtiuitatum duas candelas,ſingulam earum pondere duarum vnciarum, & longitudine duorum palmorum, quæ quidem luceant in Matutinis horis,& in Prima,Tertia, Sexta, & Nona. Ad Miſſam vero,Veſperas,& Completorium,dabit quatuor cereos,ſingulos pondere duarum librarum, & longitudinis quinque palmorum,quorum duo fixi maneant in Altari maiori,alij duos ſeruient Euangelio,& eleuationi Euchariſtiæ, & in Matutinis, & Veſperis præcedent Sacerdotem Altaria Thurificantem. In proceſsionibus omnium Feſtiuitatum,& in eis quæ diebus Dominicis, per totum annum fiunt, dabit quatuor cereos dictæ proximæ quantitatis, & ponderis, duos,qui Crucem, alios duos,qui reliquias aſſotient,vel præcedant. Item tenetur dare alias candelas ponderis,& menſuræ conſuetæ ad illuminanda Faciſtoria,vel lectricos Chori,vbi cantantur Pſalmi,& Reſponſoria;necnon ad lectricum vbi leguntur Lectiones,ita quod in illis non deficiat lumen in Matutinis,& Completorio.Inſuper omnibus diebus quatuor caparum,& ſolemnium Feſtiuitatum totius anni tenetur dare ſex cereos prædicti ponderis,& menſuræ,quorum quatuor ad Miſſam,Veſperas,& Completorium in Altari maiori luceant.Alij duo ſeruiant Euangelio, eleuationi Euchariſtiæ,& Thurificationi ad Matutinos, &

Veſ-

Veſperas(vt de alijs diebus ſimplicibus,& Octauis dictũ eſt)ad Matutinos verò eorũdem dierum ſcilicèt quatuor caparum,& ſolemnium dabit quatuor candelas, ponderis ſuperius dicti,quæ ardeant in Altari maiori. Cœterum ſtatuimus,& ordinamus,quod iſti cerei,qui in Altari maiori Proceſsionibus, & alijs deſeruire debent, in omnibus Feſtiuitatibus Beatæ Virginis Mariæ, ſint de cera alva,ſi fieri poterit,aliàs ſint viridi coloris, ponderis,& mẽſuræ ſuperius taxatæ. Præcipimus inſuper,quod omnes candelæ,& cerei,tam dierum Simplicium,& per Octauas,quàm quatuor caparum, & ſolemnium in lucernarijs poſitæ ardeant immobiliter,in Altari maiori, per totum tempus,modo,& forma ſupradictis, nec inde aliqua ex cauſa,vſque ad finem horarum amoueãtur. Ordinamus prætereà,quod ſi Feſta quatuor caparum, & ſolemnium habeant Altare ſuæ vocationis,ſitum in præfata noſtra Eccleſia,quòd in illo ponãtur, alij duo cerei eiuſdem quantitatis,& ponderis,qui ad Primas, & Secundas Veſperas,& Matutinos illius diei luceant. Item ordinamus,quod in Miſsis,quæ in aliquibus Vigilijs aliquarum Feſtiuitatum celebrantur, Theſaurarius prouideat de candelis,ſeu cereis,iuxtà conſuetudinem Eccleſiæ hactenus obſeruatam. Item vltra ſupradicta tenetur dare prædictus Sacriſta,vel Theſaurarius cereos conſuetos,pro Miſsis,& Reſponſorijs Anniuerſariorum, & ad commitandum Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentũ, & Extremamvnctionem,dum ad infirmos deferuntur. Similiter ad aſſotiandam Sanctam Crucẽ,& Reliquias Sanctorum in Proceſsionibus,quæ fiunt extra Eccleſiã. Hoc idem fiat in Proceſsionibus,quæ fiunt pro peſte,ſeu epidimia, & ad pluuiam petendam,& in ſimilibus caſibus. Et ne multitudine Proceſsionum, & Anniuerſariorum prædictus Sacriſta grauetur. Ordinamus, quod de qualibet Proceſsione nouiter inſtituta,vel de cœtero inſtituenda,vltra illud quod ratione ſuæ Præbendæ perci-

pit,tres marabetinos pro thure,& cera recipiat. Hoc idē obſeruetur in Anniuerſarijs, nouiter inſtitutis, vel de cætero inſtituendis. Cœterum, quandocumque Epiſcopus, in aliqua Capella celebrauerit, vel coram ſe fecerit celebrari Miſſam privatam, in hac noſtra Eccleſia, Theſaurarius teneatur dare pro Altari duos cereos competētes, & alios duos pro eleuationi Corporis Chriſti. Tenetur inſuper dictus Theſaurarius, ex antiqua conſuetudine, dare cuilibet Beneficiatorū ſcilicèt ex Dignitatibus, Canonicis, & Portionarijs die Natiuitatis Domini, ad offerendum in Miſſa de luce, & die Purificationis Beatæ Virginis ad Proceſsionem, & offerendum in Miſſa maiori ſingulos cereos competentis longitudinis, & pōderis, qui ſint ceræ alvæ (ſi commodè fieri poterit) & dicti cerei, poſt Offertorium Theſaurario danti reddantur. Quod ſi nos, vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum, Miſſæ maiori Purificationis Beatæ Virginis interfuerimus, vel interfuerit, detur nobis, vel illi cereus competentis longitudinis, ſcilicèt trium librarum, qui ſit ceræ alvæ (ſi commodè, vt præfertur, fieri poterit). Cereū quoque Paſchalem tenetur ex more antiquo prædictus Theſaurarius, ponere, qui ſit notabilis quantitatis, & longitudinis, vt tantæ Eccleſiæ congruit, ſitque de cera alva, & ardeat in Miſsis maioribus, & Veſperis à Sabbatho Sancto Paſchæ, vſque ad Dominicam in Alvis incluſivè, & à Vigilia Pēthecoſtès incluſivè, vſque ad Feſtum Sanctiſsimæ Trinitatis excluſivè; & à Dominica in Alvis, vſque ad Vigiliam Penthecoſtès excluſivè, imponatur ſuper ipſum cereum maiorem, alius cereus competentis magnitudinis, qui ardeat, vt fieri conſueuit. Caveat tamen, inter cœtera Theſaurarius, ne cera prædictorum cereorum, vel candelarum ſit immunda, vel ſcraboſa, ſed (vt conuenit tantis myſterijs quibus ſeruit) ſit pura, & munda, ne vè fila linorum ſint cruda, ſed potiùs cocta, & paleis impermixta. Quod ſi ſic non fecerit per Priorem, & Capitulum,

emen-

emendetur. Reperimus inſuper, & ſic faciendum ordinamus, quod præfatus Sacriſta, vel Theſaurarius, tenetur prouidere Eccleſiæ de thure neceſſario; tàm de quinque granis groſis pro Paſchali cereo, quàm de alio quod per totum annum, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ requiritur, ad Thurificãdũ Miſsis, Proceſsionibus, & Veſperis. Addimus nihilominus aliquid, quod obſeruãdũ de inceps ſtatuimus, videlicèt quòd diebus ſolẽnibus, in Miſſa, quando eleuatur Euchariſtia, & quando Thurificantur Chori, & in Proceſsiõnibus, duo ſemper Thuribula adhibeantur. Tenetur vlterius prouidere de oleo, & alijs neceſſarijs pro lampade, quæ eſt coram Altari maiori in medio aliarum duarum lampadarum, quæ continuè, diù noctuque debet ardere, ſine aliqua intermiſsione, & luminioſior inter alias apparere. Aliæ duæ lampades, iam translatæ ſunt altera in Capellã Reſurrectionis, altera verò in Capellam Crucifixi, vt inſtatuto lampadarum, infrà continetur. Curam etiam debet gerere de alijs lampadibus omnibus, tam ordinarijs, quàmq; extraordinarijs, illaſque ſaltem ſemel in Hebdomada viſitare; prouideatque, vt oleum in vaſis, & lumen in lampadibus ſuo tempore non deficiat. Cœterum prædictus Theſaurarius, teneatur dare, & ſolvere, Operario Eccleſiæ in quolibet anno, duo millia, & quingentos marabedinos, monetæ currentis, medietatem videlicèt, in Feſto Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & aliam medietatem in Feſto Natiuitatis Beati Ioannis Baptiſtæ. Quod ſi prædictis Feſtiuitatibus, id non ſoluerit, cum duplo teneatur ſoluere, & ipſofacto incurrat in pœna duplici pro Fabrica Eccleſiæ. Et prædicta duo millia, & quingenti marabetini ſunt pro reparandis, reſarciendis, & reficiendis ornamẽtis auri, argenti, ſirici, aut lini, & pro reparatione, & ligatione librorum pertinentium ad cultum Diuinum, nec non pro ſteris, & alijs neceſſarijs, quæ tempore Hyemali debent poni in Choro, pro defenſione frigoris. Eius

quo-

quoque officij eſt, alvas, & veſtimenta Sacra, quæ linea ſunt, Altariſque maioris ſindones, manutergia vitaſque Diachoni, & Subdiachoni, & panos qui pendent in Crucibus, & quibus Calices involuuntur, necnon, & ampullas, quibus in Miſſa maiori miniſtratur; & omnia alia facere ſic, & talibus temporibus lauari, quod ſuis in locis munda ſemper appareant, vt tactum, vel viſum per tractantium aliorumque circunſtantium non offendant. Et quia timendum eſt, quod propter defectum Miniſtrorũ dicti Theſaurarij prædicta omnia, & alia quæ ſuum Officium concernunt, vt aliquando experti ſumus, non debitè peragantur, ſtatuendum, & ordinandum duximus. Quod ipſe Theſaurarius, ſemel in Hebdomada viſitet domum Sacriſtiæ, & domum Theſauri, reliquias, armarium, librorum, Cruces, vaſa, & alia ornamenta Eccleſiæ oculariter videat. Et ſi aliquid incompoſitum ibi appareat, illud ſtatim componat, vel componi faciat. Quòd ſi aliquid reficiendum viderit illud quam citius poterit faciat refici, vel reparari, in quo ſi negligẽs fuerit, per Priorem, & Capitulum arguatur, & ſi oportuerit (quod ſuæ diſcretioni committimus) multetur. Quod ſi Miniſtri, & Officiales eiuſdem fuerint negliglentes, ipſe etiam Theſaurarius multet eos per ſubtractionem portionis, vel aliàs vt ſibi viſum fuerit.

## Trigeſimum ſecundum Statutum.

### *DE OFFICIALIBVS THESAVRARII, & primo de cuſtode Theſauri, & Sacrarij.*

EXecutio debita officij Sacriſtæ, vel Theſaurarij conſiſtit pro maiori parte in fidelitate, & diligentia ſuorum Miniſtrorum. Id circo de illis eſt agendum, & primo de cuſtode Theſauri, qui intitulatur Capellanus Theſauri, ſeu Sacrarij, & debet eſſe vitæ probabilis, fide-

lis, & prudens, & ordine Sacerdotali inſignitus. Cuius officium eſt habere claues domus Theſauri, & ibidem de nocte dormire, tenetur ſimiliter proferre capas, reliquias, vaſa, candelabra, & alia ornamenta, dum cultui Diuino fuerit neceſſaria, expletiſque officijs, illa in ſuis locis, honeſtè, & compoſite reponere. Et ne prædictæ ſacræ veſtes, & alia ornamenta, quæ ſub eius cuſtodia ſunt, à puluere, vel tinea ledantur, extrahat eas ter in anno, ſcilicèt Vigilia Reſurrectionis Dominicæ, Vigiliaque Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & Vigilia Natiuitatis Domini, vel per duos, vel per tres dies ante, ſereno tempore ad Clauſtrum Eccleſiæ, vel ad alium locum ad hoc aptum, vt ibi ab aëre penetrentur, & à puluere excutiantur. Quo peracto, illa omnia ordinatè plicata in domum Theſauri honeſtè reducat. Item tenetur prædictus Cuſtos, & Capellanus prouidere de oleo lampadi, quæ eſt in domo Theſauri, ſeu Sacrarij coram Altari reliquiarum, & eam illuminare omni die Sabbati, ab hora Completorij incluſiuè, vſque in ſequentem diem, necnon diebus quibus proferuntur reliquiæ, demumque debet habere paratas acus, & fila linea, & ſerica omnium colorum quibus conſuat, quidquid in prædictis capis veſtibus, vel ornamentis viderit diſſutum, vel aliqualiter reſecatum. Et quoniam proprietas, & huic Capellaniæ Annexa ſunt iã reſumpta in menſa diſtributionum omnium Capellanorum, præcipimus, quod de prædicta illorum menſa, extrahantur ſingulis annis, duo aurei, denturque dicto Capellano Theſauri pro his oneribus.

## Trigeſimum tertium Statutum.

### *DE OFFICIO SACRISTARVM.*

ALij duo iuuenes, qui pro ipſo Theſaurario miniſtrant Altari, qui Sacriſtæ etiam nuncupantur, de-

bent habere omnes qualitates, quæ in Statuto Theſaurarij continentur. Illorum eſt habere claues principalium hoſtiorum huius Eccleſiæ, & Capellæ maioris, & Chori; & tenentur illa aperire, & claudere, temporibus ſtatutis. Ad ipſorum præterea officium expectat, componere ſingulis diebus, antequam prima incipiatur, Altare maius, & alia omnia Altaria diebus Sabbati ad minus. Et quando venerit Feſtum alicuius Sancti, cuius memoria, vel Feſtiuitas celebratur in Eccleſia, eius Altare more ſolito adornare, & componere tenentur. Incendereque tres lampades, quæ ſunt intra cancellos Capellæ maioris, & lampadem, quæ eſt in Capella Sancti Petri Oxomenſis, & aliam quæ eſt in Choro temporibus conſuetis, candelaſque, & cereos in Altari, & ante Altare ponere, & illos ſuis temporibus incendere. Eſt vlterius eorum officium ampullas cum vino, & aqua pro celebrandis Miſsis, quæ in Altari maiori celebrantur præſto habere. Hyſopum, & aquam benedictam procurare, manutergia munda, & aquam lauandis manibus Sacerdotum ſemper in Sacrario habere parata, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, Presbytero, Diachono, & Subdiachono in neceſſarijs miniſtrare. Ipſi tenētur de domo Theſaurarij, cereos, candelas, oleum, thus, & alia quæ officio ſuo competunt in Eccleſia reportare. Item tenentur procurare prunas ardentes pro thuribulis, & cum quibus Sacerdotes celebrantes, & eorum Miniſtri hyemali tempore calefiant; tapetia, lodices, & repoſtoria Capellæ maioris, & aliorum Altarium, ſemel in Hebdomada à pulvere excutere. Verrere Capellā maiorem, & Pulpitum intus, & foris mūdare omni die Sabbati, & Vigilijs ſolemnium Feſtiuitatum, eius Retabulum, & alium Capellæ Reſurrectionis, & Sancti Crucifixi ſuis temporibus cooperire, & poſteà detegere. Expectat demum ad eorum Officium in Sacramentorum diſpenſatione, & in Miſſa populari Vicario Curato, vel eius locum tenenti miniſtrare, eandemque Miſſam officiare, die-

buſque Dominicis Proceſsionem procedere, & aqua benedicta Clauſtrum, & Capellas aſpergere.

# Trigeſimum quartum Statutum.

## *DE OFFICIO SCHOLASTICI.*

SCholaſticus (cuius ſedes eſt immediata poſt ſedem Archidiaconi Acenſis) debet eſſe perſona literata, prudens, & honeſta, vt ea quæ ad Officium ſuum expectant, prudenter exerceat, & ſine reprehenſione (vt decet liberaliter, & diſcretè expediat). Qui tenetur, ad Miſſas, & capas cõtentas in Tabula, & ad Hæbdomadas, quæ per annum illi occurrerint. Inſuper tenetur, litteras miſsiuas Capituli de eius mandato ordinare, quas non claudat, neque mitat quovſque per Capitulum reuideantur, & ibi publicè roborentur, vel ſi expediat ſigillentur. Litteras quoque aliunde ad Capitulum Miſſas legat, & reſpõſiuas ſcribat, ſeruataque forma ſupradicta remitat Capitulo. Tenetur etiam lampadem, quæ eſt à Choro ad Capellam imaginis Chriſti à Cruce deſcendentis parare, & de omnibus neceſſarijs prouidere, & ſufficientiam olei illi infundere, vt in Matutinis, & Completorio, vt ſolitum eſt ardeat, quòd ſi negligens fuerit multetur; & qui a abſurdum videtur, quod in tanta Eccleſia, libri cultus Diuini propter defectum correctoris mendoſi, vel vitioſi appareant, & ne mendaciter, vel vitioſe legendi occaſio detur. Statuimus, & ordinamus, quod de cætero prædictus Scholaſticus, cuius dignitas, vel Officium à Schola nomen accipit, prædictos libros grammaticaliter, vel litteraliter corrigendi onus accipiat. Quòd ſi propter defectum prædictum continget, aliquem in Officio Diuino mendoſè, vel corruptè legere in Capitulo, dictus Scholaſticus charitatiuè emendetur, & ſi negligens fuerit etiã multetur ad arbitrium Prioris, & Capituli. Sed ordina-

mus,quod ſi in libris huiuſmodi corrigendis, inuentum fuerit aliquid mendoſum,& vitioſum,ita quod ad emendationem,talis mendacij ſit neceſſarius ſcriptor librorũ, in tali caſu,data diligentia,& opera per Scholaſticũ, iuxtà correctionem quidquid conſtiterit pro labore Scriptoris,ſoluatur per Operarium Fabricæ Eccleſiæ.

## Trigeſimum quintum Statutum.

### *DE OFFICIO ABBATIS SANCTI Bartholomæi.*

ABbas Sancti Bartholomæi eſt Octaua Dignitas in hac noſtra Eccleſia,& ad dexteram Epiſcopalis Sedis,in Choro obtinet quartum locum; eius officij eſt, præter Miſſas ſuæ Hebdomadæ,alias etiam quæ ſunt in tabula cantare,habet etiam miniſterium,ſeu regimẽ Eccleſiæ,ſeu Heremitorij Sancti Bartholomæi de Vzero, à quo denominatur,Abbas Sancti Bartholomæi.

## Trigeſimum ſextum Statutum.

### *DE OFFICIO DECANI.*

DEcanus eſt Dignitas in hac noſtra Eccleſia, & habet nonum locum inter Dignitates, & quintam ſedem ad dexteram Epiſcopi, eius Officij eſt, præter Miſſas ſuæ Hæbdomadæ,alias etiam quæ ſunt in tabula decantare.

## Trigeſimum ſeptimum Statutum.

### *DE OFFICIO ABBATIS SANCTÆ CRVCIS.*

ABbas Sanctæ Crucis,eſt decima dignitas huius noſtræ Eccleſiæ,& habet quintam ſedem in Choro,

ad ſiniſtram noſtræ Sedis Epiſcopalis, huic Dignitati eſt annexum munus prædicandi Verbum Dei, diebus ſignatis in tabula Miſſas, etiam ibidem illi aſsignatas, & ſuæ Hæbdomadæ tenetur cantare. Et quia eſt Præbenda Magiſtralis, eius prouiſio præcedentibus edictis pertinet ad Nos, ſimul cum Capitulo noſtræ Eccleſiæ (vt moris eſt) iuxtà conſtitutiones, & diplomata Romanorum Pontificum.

## Trigeſimum octavum Statutum.

### *DE OFFICIO SVBPRIORIS.*

SVbprioris eſt incipere, vel inchoare horas Canonicas, Capitulare, & oraciones dicere. Ideò debet eſſe primus inchoare. Verum tamen, quando Epiſcopus, vel aliquis in Dignitate conſtitutus, in aliqua Feſtiuitate celebrauerit, huiuſmodi celebrans, primas Veſperas inchoabit, Capitulabit, & oratione, vel orationibus perficiet (vt ſuperius in Statuto, quod eſt iuxtà tabulã continetur) niſi aliter aliquando fieri oporteat iuxtà Cæremoniale, Põtificale, aut Ordinarium reſtitutum à Pio Quinto. Dicit etiam prædictus Subprior, Pretioſam, niſi Prior velit eã dicere. Item vltra hæc, quod Hebdomada vicis ſuæ, Miſſam dicit maiorem, & quòd ad Miſſas in dicta tabula illi aſsignata tenetur. Hæbdomadam Prioris etiam pro eo ſupplet. Tenetur etiam pro alijs Beneficiatis abſentibus, vel infirmis, qui alium Beneficiatum non ſubſtituerint, qui Hæbdomadis eorum celebrent, data illi pro labore ſuo in qualibet Miſſa de Portione Canonica illius abſentis, vel infirmi decem marabetinorum pitantia, Hæbdomadam cuiuslibet eorum in dicta Miſſa maiori ſupplere. Et ſi accidat, quod Beneficiatus Hæbdomadarius, ſanus, & in hoc oppido præſens, nec alius ab eo rogatus pro eo celebrare voluerit, argenteis tribus, de ſua portione Ca-

no-

monica ſubtrahendis pro qualibet Miſſa multetur. Quorum duæ partes Subpriori, vel alteri diſpoſito Beneficiato per Priorem, vel Præſidem illum Rogantem, quod talem defectum ſuppleat, mandatum de hoc dato ipſi ècomomo pro qualibet Miſſa ſine remiſsione applicentur. Alia autem tertia pars, Fabricæ prædictæ noſtræ Eccleſiæ adiungatur. Prædictus Subprior tenetur ex conſuetudine antiqua, in die Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti Miſſam de Gallicantu in Matutinis dicere, ſeu cantare. Illius etiam oneris eſt, Feſto Sancti Dominici, qui fuit Ordinis Prædicatorum Pater, & dux, & huius noſtræ Eccleſiæ Canonicus, & Subprior Capellam eius Feſtiuitati congruenter exornare. Honeſtum ergo, & rationabile eſt, & ſic faciendum ſtatuimus, & ordinamus, quod illa die, dictus Subprior (qui ſucceſſor tanti viri eſt) Miſſam maiorem celebret, & Primas dicat Veſperas, & ſecundas. Tenetur etiam loco collationis, quàm ſingulis annis dare conſueuerat Capitularibus in Vigilia Sancti Dominici, duos aureos dare Fabricæ huius Eccleſiæ annuatim.

## Trigeſimum nonum Statutum.

### *DE DISTRIBVTIONIBVS quotidianis.*

DIſtributiones quotidianæ Capituli acquiruntur per reſidentiam quatuor horarum, computando Matutinum pro vna; Primã, & Completorium pro alia; Tertiam, & Miſſam pro alia; Veſperas, pro Reliquia. Ita quod redditus, qui ſunt conſtituti, pro diſtributionibus deductis ſumptibus, diuiduntur in quatuor partes æquales, & vnicuique horæ tribuitur vna pars. In quibus horis, Dignitates antiquæ ſcilicèt Prior recipit quinque partes, tres pro Dignitate, & duas pro Canonicatu integro annexo; tres Archidiaconi, Cantor, Theſaurarius, & Scholaſticus,

quilibet recipit tres partes. Abbates verò Sãcti Bartholomæi, & Sanctæ Crucis, & cœteri Canonici, habentes integras diſtributiones, recipiunt duas partes. Decanus verò, & Canonici Doctorales, Lector Scripturæ, & Canonicus Coſmas Ruiz de Zumel, & Canonicatus reliquus, qui omnes ſex habent dimidias diſtributiones, recipit quilibet vnam partem habita ratione ad horas, vel puncta. Ita tamen quod quælibet Dignitas, & Canonicus, non poſsit frui requie vltra nonaginta puncta in qualibet hora. Quilibet autem ex Portionarijs, & Capellanis, vltra ſexaginta, quòd ſi plura amiſerint pro abſentibus habeãtur. Computatio verò iſtius requiei extrahatur ſigillatim, & ſeparatim ex qualibet hora per ſe, ita quod defectus vnius horæ, minimè poſsit ex alia ſupleri.

## Quadrageſimum Statutum,

### DE CAMERA, SEV BESTVARIO.

REdditus Cameræ, ſiue beſtuarij, deductis ſumptibus, diuiduntur in octo Præbẽdas integras, quarum vnam integram habet Prior, aliam Abbas Sancti Bartholomæi, Decanus verò, Abbas Sanctæ Crucis, & cœteri Canonici recipiunt ſinguli dimidiam Præbendam. Pro lucrandis verò huiuſmodi redditibus tenetur vnuſquiſque reſidere per quatuor mẽſes integros in quolibet anno continuos, ſiue interpolatos. Ita tamen, quod ſi reſidentia dictorum quatuor menſium incepta obierit, lucretur pro rata redditus Cameræ: nempè ſi poſt primum menſem vita functus fuerit, quartam partẽ; ſi poſt duos, dimidiam; ſi poſt tres, tres partes acquirant. Quòd ſi mẽſis non fuerit finitus, aliquos tamen dies ſupervixerit pro rata, modo ſupradicto, defunctus recipiat fructus.

Qua-

## Quadrageſimum primum Statutum.

*QVOD NVLLVS DE ECCLESIA poſsit vendere, ſeu alienare poſſeſsiones.*

STatuimus præterea, & ordinamus, quod nullus de Capitulo, nec Portionarius, nec Capellanus huius noſtræ Eccleſiæ, agrum, vineam, ortum, domum, fundũ, ſeu aliquid aliud, ad Dignitates, Canonicatus, Portiones, & Capellanias communiter, vel particulariter, quouiſmodo perpetuo pertinens, abſque noſtra, ſeu ſucceſſorũ noſtrorum, expreſſa licentia, vendere, alienare, ſeu permutare præſumat. Nec licentia Vicariorum Generalium ad hoc poſsit ſufficere. Immo eis diſtrictè inhibemus, ne ſimiles licentias concedant. Quod ſi ſecus factum fuerit, totum ex nunc decernimus irritum, & innanè nulliuſque eſſe roboris, vel momenti.

## Quadrageſimum ſecundum Statutum.

*DE PORTIONARIIS.*

BOnæ memoriæ Alphonſus Enriquez prædeceſſor noſter, ſimul cum Capitulo huius noſtræ Eccleſiæ, cultum Diuinum augere cupientes, octo Portiones, octo Portionarijs conferendas inſtituerunt, quibuſdam conditionibus, contentis in inſtrumento fundationis dictarum portionum, inter quas vna eſt, quod cum vacauerint, prouideantur alternatiuè, per nos, & ſucceſſores noſtros, & Capitulũ, ſeruitoribus, aut de gremio dictæ Eccleſiæ, eòque dictæ Portiones fuerunt inſtitutæ ex fructibus ad menſam Epiſcopalem, & Capitularium pertinentibus (vt inferius explicabitur). Extat etiam in inſtrumento fundationis dictarum portionum alia cõditio, videlicèt quòd

nullus Portionarius dictarum octo Portionum, poſsit deſervire per interpoſitam perſonam. Et inſuper, quod ſi iuſto impedimento ceſſante, aliquis eorum à ſervitio Chori vltra tres menſes continuos abfuerit, ipſo iure ſua portione ſit priuatus. Sunt præterea, aliæ quatuor Portiones, quas nouiter dotauit Ioannes de Villa-Nuño Archidiachonus Sorienſis de redditibus ſui, Archidiachonatus, quarum collatio, dum vaccauerint, pertinet ad Nos, præcedente præſentatione Archidiaconi Sorienſis pro tempore exiſtentis, & vt in inſtrumento fundationis earum plenius continetur, Portionarij dictarum quatuor Portionum tenentur ad eadem onera in Choro, & ſervitio Altaris, ad quæ dicti alij octo antiquiores tenentur. Quæ quidem ſunt quæ ſequuntur.

## Quadrageſimum tertium Statutum.

### *DE ONERIBVS ANNEXIS Portionarijs.*

TEnentur prædicti omnes Portionarij, & quilibet eorum ad omnes horas tàm diurnas, quàm nocturnas, ac omnia alia officia, quæ in dicta noſtra Eccleſia, vel extra per Dignitates, vel Canonicos fuerint celebranda. Aliter autem facientes, & inobedientes, vt alij beneficiati, multentur. Teneanturque ad Miſſas maiores dicendas, & ad officia Diuina cuilibet ipſorum in Hebdomada ſucceſsiuè per ordinem incumbentia. Similiter ad capas, & ſceptra ſecundum formam ordinemque ſupra ſcriptũ in tabula, & idem ordo ſeruetur, in cãtandis tractis, Allelluia, & Inuitatorijs. Præterea Ferijs quarta, quinta, & ſexta Hebdomadæ Sanctæ in fine officij nocturni, teneantur duo illorum ad Faciſtorium accedere, & Pſalmum miſerere in medio Chori, cum alijs adiunctis decantare, & Feria ſexta eiuſdem Hebdomadæ, duo ex ipſis antiquio-

ribus portantes Crucem, velo nigro coopertam ad Altare maius accedant, cantantes iuxtà ritum Eccleſiæ, improperia. Niſi Epiſcopus celebret, tunc enim loco Portionariorum ſuccedunt Canonici. Inſuper duo dictorum Portionariorum ex vltimis vtriuſque Chori tenentur in Litanijs maioribus, & minoribus, & in alijs quibuſcumque Proceſsionibus, cũ Litania dicenda fuerit, in medio Chori dictam Litaniam cantare, vt moris eſt. Et quoniã præfatus Reuerendiſsimus Alphonſus Enriquez (vt reperimus) vnum aliud Statutum condidit circa quædam alia onera, quæ tàm dictis Portionarijs, quàm Capellanis huius noſtræ Eccleſiæ incumbunt, idem hoc loco inſeri fecimus, cuius eſt talis tenor.

## Quadrageſimum quartum Statutum.

*REVERENDISSIMI ALPHONSI Enriquez, circa quædam onera Portionarijs, & Capellanis incumbentia.*

ALphonſus Enriquez, Dei gratia Epiſcopus Oxomenſis: Attendentes quòd nuper Nos vnà cũ chariſsimis Fratribus noſtris Priore, & Capitulo noſtræ Eccleſiæ, Volentes Diuinum Cultũ, & Miniſtrorum numerum in præfata noſtra Eccleſia augeri, de redditibus noſtræ Epiſcopalis Menſæ, necnon dictorum Prioris, & Capituli octo Portiones, aut Præbendas, octo Portionarijs aſsignandas, creauimus, ac dotauimus. Qui quidem octo Portionarij in admiſsione, ac receptione ſua inter alia tenentur iurare fidelitatem, & obedientiam nobis, & ſucceſſoribus noſtris, necnon præfatis Priori, & Capitulo, prout in Statutis Eccleſiæ noſtræ, latius continetur. Cum itaque (ſicut accepimus) præfati Portionarij, in multis cõcernentibus Diuinum Cultum, præfatis Priori, & Capitulo obedire recuſent, eo prætextu, quod ea quæ ſibi mã-

dantur per Capitulum in inſtrumẽto erectionis,& creationis dictarum Portionum, expreſſa non fuerint. Ideò Nos ad omne dubium tollendum,declaramus, & declarando(ſi opus eſt)in perpetuum ſtatuimus,& ordinamus, quòd dicti Portionarij, & quilibet eorum rationi dicti iuramenti fidelitatis,& obedientiæ per eos præſtiti, & per ſucceſſores ipſorum præſtandi,tenentur realiter, & cum effectu obedire Priori,& Capitulo noſtræ Eccleſiæ, in omnibus licitis, & honeſtis,ſiue cultum Diuinum, & eius augmentum tangentibus,ſiue alijs in quibus verſatur honor,vel euidens vtilitas captanda,vel damnum vitandum præfatæ Eccleſiæ noſtræ,etiam ſi talia præcepta,vel mandata non contineantur in verbis inſtrumenti erectionis,ac creationis dictarum Portionum. Item ad vitandam omnem occaſionem diſſenſionis in Choro, præcipimus,& mandamus omnibus,& ſingulis Capitularibus, Portionarijs,& Capellanis,vt in omnibus licitis, & honeſtis obediant Priori,& Capitulo,& Præſidẽti in Choro ſub multa per eos, vel Præſidem imponenda, cuius executionem eis cõmitimus. Inſuper declaramus dictos Capellanos Eccleſiæ noſtræ iuramenti ratione fidelitatis,& obedientiæ per eos,vel ſucceſſores ipſorum, præſtiti,vel præſtãdi,fore,& eſſe obligatos,& teneri ad obediendum realiter,& cum effectu Priori, & Capitulo in omnibus licitis,& honeſtis, ſiue concernentibus Diuinũ Cultum,vel eius augmentum in dicta Eccleſia noſtra,ſiuè etiam in omnibus alijs,in quibus videbitur opera, & induſtria dictorum Capellanorum neceſſaria, & vtilis, pro vitando damno,vel captando lucro,& honore dictæ Eccleſiæ;& quod Capellani Eccleſiæ præfatæ, in his nolentes parere Capitulo poterunt per ipſum Capitulum mulctari. Huius Statuti originale eſt in Archiuio huius noſtræ Eccleſiæ, omnibus conſentientibus.

# Quadrageſimum quintum Statutum.

## *DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI, Parochi Oxomenſis, & Capellanorum.*

OFficia ad quæ tenentur Archipræsbiter Oxomenſis, Parochus Oxomenſis, & Capellani præfatæ noſtræ Eccleſiæ, ſunt quæ ſequuntur. In primis Archipræsbitero, & Parocho Oxomenſi ſunt aſsignatæ ſedes in Choro inter ſedes inferiores, Archipræsbiter ad dexteram, & Parochus ad ſiniſtram, & tenentur ad reſidentiam perſonalem, & intereſſe omnibus horis, quibus Capellani interſint; & habet quilibet eorum in proceſsionibus, diſtributionibus, Anniuerſarijs, & alijs obventionibus, ſicut vnus aliorum Capellanorum; tenentur etiam ad eadem onera, à quibus ne ipſi, & cœteri Capellani velamine ignorantiæ, vel deſuetudinis, ſe excuſſare præſumant, vel negligentiæ, vitium incurrant, illa his noſtris Statutis inſeri fecimus, & ad illa præfatos Archipresbyterum Parochum, & Capellanos teneri, & obligari volumus, & mandamus. Tenentur namque prædicti Archipræsbiter, Parochus, & Capellani, ad Matutinas venire, & Feſtis nouem Lectionũ, & in Proceſsionibus dicere verſus, & reſponſoria, quæ in eis ordine conſueto obveniũt, quilibet in ſuo Choro, & feſtis dupplicibus ad faciſtorium, quod eſt in medio Chori, & ſi fiat Officium Defunctorũ, vſque quo finiatur, ibidem reſidere. Item intereſſe primæ, tertiæ, & ſextæ, Veſperis, Completorio, & Anniuerſarijs, Proceſsionibus, & Miſſæ Maiori, & illam ad faciſtorium officiare, Nonæque ſimiliter, quando diebus ieiuniorum poſt Miſſam dicitur, & quia (vt accepimus) præfati Archipresbyter, Parochus, & Capellani prætextu obſequij, vel Anniuerſarij, quod ad eos præciſsè pertinet, aliquando Chorum exeunt, & illum de formatum relin-

quunt;inhibemus ne de cœtero,illo intuitu Chorum dimittant,ſed officia illa,ſi obveniant expleto officioChori incipiant,excepto ſi defuncti corpus fuerit præſens, tunc enim licitè exire poſſunt, & officium ſuum quocunque tempore faciunt,quatuor ad minus à Priore, vel Præſide deſignatis ad ſervitium Chori remanentibus,qui pro intereſſentibus habeantur in officio defuncti, quòd ſi deſignati non obedierint,mulctentur irremiſsibiliter omnibus horis illius diei,& creſcente contumacia,dupplicetur pœna quovſque obediant.

Teneantur præterea duo illorum Canonicum, vel Portionarium,& quatuor,in Dignitate conſtitutum thurificantem altaria honeſtè(vt moris eſt)commitari, manicis ſuper manus dimiſsis,& ipſi ad hoſtium Chori expectent oportunè Dignitatem,ſeu Canonicum,aut Portionarium,vt præeant cum omni decentia. Rurſus teneãtur,prædicti Archipresbyter,Parochus,& Capellani,proceſsionibus ſolemnibus, quæ intra Eccleſiam, vel extra fiunt,perſonaliter intereſſe,dicereque tertium reſponſorium in tertia parte clauſtri, ſeu Eccleſiæ. Demum de Proceſsionibus nouiter inſtitutis,aut de cætero inſtituẽdis,ex toto ſtipendio ſeu dote, in decẽ partes diuiſo recipiunt Capellani duas partes. Si verò fuerint proceſsiones votiuæ,teneantur adeſſe ſub pœna impoſsita in Statuto de Proceſsionibus.

Item feſtis duplicibus, in quibus Portionarij Capas ſericas, vt Cantores aſſumunt, accipiant etiam duo de prædictis Archipresbytero,& Parocho,& Capellanis ordine ſuo,vnus de dextro Choro, alius de ſiniſtro Capas, & ſceptra,prout in tabula Caparum Chori continetur. In feſto etiam Sanctiſsimi Sacramenti Euchariſtiæ, quatuor de prædictis Capellanis,qui Sacerdotes ſint,veſtibus Sacerdotalibus induti feretrum illud,in quo benedictum Sacramentum continetur, humeris ſubſtinere,& honeſtè aſportare teneantur.

Præcipimus inſuper,& ſtatuimus quòd omnes, qui de dictis Capellanis ad arbitrium Prioris,vel pro eo Præſidis ad id neceſſarij fuerint,etſi non ſint ſacris initiati,teneantur reliquias quaſcunque, in quibuſcumque Proceſſionibus,ſeu extra Eccleſiam,vel intra ordinarijs,ſeu etiã extraordinarijs,aut votiuis, aut pro gratiarum actione, aut quæ alia quacumque cauſa fiunt,proprijs humeris in feretro aſportare,& ſubſtinere.

## Quadrageſimum ſextum Statutum.

### *DE SCRIPTORE DISTRIBVTIONVM Capellanorum, & miniſtrandis Capis ſericis.*

RVrſus quia noſtræ intentionis eſt, quòd præfati Archipresbyter,Parochus,& Capellani ſeruiant prædictæ noſtræ Eccleſiæ,non ſolum in Miſsis dicendis, ſed etiam in horis in Choro continuandis.Statuimus, & ordinamus,quod Officialis ſcriptor,cuius eſt defectus abſentium,vel non intereſſentium Capellanorum ſcribere,vel notare.Illa die qua ad illud officium fuerit electus, vel aſſumptus antequàm aliquid circa illud exerceat, ad Capitulum præfatæ noſtræ Eccleſiæ veniat, & præſentibus Beneficiatis,vel maiori eorum parte in manibus Prioris,vel Præſidis de fideliter notando,vel ſcribendo defectus non intereſſentium,omni fraude ceſſante, & quòd cuilibet euenerit ſecundum deſcriptas per eum notas,ſic & non aliter pecunias debitas diſtribuet, & circa prædicta,vt omnis de medio ſuſpitio auferatur. Volumus, & ordinamus,quod prædictus ſcriptor, vel notator librum prædictarum notarum Priori, vel Præſidi quotidie præſentare teneatur,et ſi ibi aliquid corrigẽdum viderit,illud corrigat,& emendet,prædictuſque ſcriptor dictas notas in Choro,& non alibi faciat,& ſcribat. Quòd ſi alibi fe-

cerit, vel ſcripſerit, pœnam duorum argentorum, ſeu regalium fabricæ præfatæ noſtræ Eccleſiæ applicandorum, illum incurrere volumus ipſo facto.

Item ſtatuimus, & ordinamus, quod diebus proceſſionum ſolemnium, quibus Beneficiati Capas ſericas ſumunt, prædicti Capellani teneantur, illas reuerenter illis dare, & eos honeſte cooperire, quòd ſi nõ fecerint, Prior, vel Præſidens mandando iniungat, cuius mandato, ſi quis illorum contumaciter adimplere neglexerit, pœnam duorum argentorum regalium fabricæ noſtræ Eccleſiæ applicandorum, illum incurrere volumus ipſo facto, & creſcente contumatia creſcat, & multa, cui committimus executionem multæ. Inſuper ordinamus, & mandamus, quòd cum fuerit feſtum quatuor Caparum, Cantores in Miſſa, & Veſperis miniſtraturi ſummant Capas, vel in Theſauro, vel in Sacriſtia, provt ſolemnitas feſti exegerit, & nullo modo ſummantur in Choro, ſub pœna cuicumque contrarium facienti trium regalium fabricæ Eccleſiæ noſtræ applicandorum, & idem declaramus, in omnibus multis, & pœnis pecuniarijs in his Statutis contentis, vbi nulla eſt applicatio pœnæ.

## Quadrageſimum ſeptimum Statutum.

### *DE ORDINE MISSARVM DICENdarum per dictos Capellanos.*

INſuper quia honeſtum, & iuſtitiæ conſonum videtur, quòd diebus Dominicis, & Feſtis, quæ præcipiuntur obſervari ab Eccleſia, & quocumque alio die, quo in dicta noſtra Eccleſia Sermo, vel Proceſsio publicè fiat, non ſolum Clerus, ſed etiam populus in præfacta noſtra Eccleſia ad Miſſam Maiorem concurrat. Id circò (vt maturius, & maiore deuotione id fiat) ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus prædictorũ Capellanorum, nec

Parochus, qui curam animarum gerit, toti populo, nec alicui ſingulari perſonæ Miſſam aliquam celebret, vel celebrare incipiat, à principio proceſsionis Miſſæ Maioris vſque ad præfationem dictæ Miſſæ Maioris. Qua præfatione incepta, Parochus Miſſam, ad quam tenetur, in Altari conſueto inchoet, alijque Capellani Miſſas ſibi conſignatas illa die non dimittant, ſed præmiſſo tempore in Altare ſuæ Capellaniæ celebrare teneantur. Item vt Altaria dictæ noſtræ Eccleſiæ, ſepiùs ac melius viſitentur, & illis debitè provideatur, ac illi qui prædictas Capellanias dotauerunt pro quibus orandum eſt, à memoria non excidant, ſciantque Capellani, quibus Altaribus celebrare teneantur. Statuimus, & ordinamus, quòd quilibet dictorum Capellanorum habeat Altare ſibi conſignatum, vbi Miſſas oneri ſuo incumbentes celebret, ordine, & modo ſequentibus.

## Quadrageſimum octavum Statutum.

### *DE PAROCHO OXOMENSI.*

PArochus Oxomenſis, cui curam animarum Cleri, & totius populi tam in hac noſtra Oxomenſi Eccleſia, quàm in hoc Oppido Burgi incumbit, debet eſſe perſona literata, prouida, & honeſta, vt qui alios tenetur docere exortationis Verbo, doceat etiam bonæ vitæ exemplo, tenetur caſus Epiſcopales pro ſe, & pro adiunctis ſibi confeſsionibus ab Epiſcopo petere, & per ſe, vel ſubſtitutos ſuos, confeſsiones audire, & prædictis omnia alia Sacramenta miniſtrare; aquam die Dominica benedicere, & Miſſas populares in Capella Reſurrectionis, vt moris eſt, celebrare; feſta, & ieiunia populo nuntiare. Tenetur etiam in Choro intereſſe Diuinis Officijs, & Proceſſionibus, cum nõ fuerit circà prædicta occupatus. Tenetur etiam omnia alia facere, quæ ad eius officium, & ad

Curam animarum pertinent. Cum Vicaria, quæ olim dicebatur, & nũc dicitur Capellania Parochi, contigerit vacare, ad præſentationẽ Scholaſtici huius noſtræ Eccleſiæ pertinet, Epiſcopus debet prouidere præſẽtato, ſi idoneus repertus fuerit. Et circà hoc attendatur cũ diligẽtia, quòd potiùs Eccleſiæ, & populo, quã perſonæ prouideatur. Qui quidem Parochus habet Coadiutorem, qui nominatur per præfatum Scolaſticum, & talis Coadiutor, abſente, vel impedito Parocho, prædicta omnia facit, confeſsiones verò præſente Parocho, & non impedito tenetur audire, ad Miſſam autem popularem non tenetur, etiam Parocho impedito, vel abſente, & pro onere ſupportando conferuntur eidem Coadiutori quim decim mille mara etini de redditibus Theſaurari, & Scholaſtici.

## Quadrageſimum nonum Statutum.

### *PRIMA CAPELLANIA SANCTI Ioannis.*

EX conſuetudine antiqua reperimus, quòd prima Capellania, quàm nunc poſsidet Martinus Sanctij de Cabrejas, cuius fundatoris memoria non reperitur, cantatur in Capella Sancti Ioannis, & quòd Capellanus tenetur dicere in dicto Altari tres Miſſas in qualibet Hæbdomada pro Reuerendiſsimo Epiſcopo Petro de Montoya, noſtro prædeceſſore. Præcipimus vt ita fiat. Huius autem Capellaniæ annexa, ſeu proprietas eſt reſumpta, & conuerſa in diſtributiones quotidianas Capellanorũ pro ſeruitio Chori, Apoſtolica auctoritate diplomate, ſeu Bulla fœlicis recordationis Pauli Papæ Tertij, per obitum Licenciati Baſurto; eius prouiſio ad Epiſcopum pertinet.

# Quinquageſimum Statutum.

## *SECVNDA CAPELLANIA SANCTI Petri Oxomenſis.*

POſt primam verò Capellaniam, principalior inter aliàs reputatur in hac noſtra Eccleſia Capellania, quæ vulgariter dicitur *del Cuerpo Sancto.* Quàm, vt multorum relatione, dictus Reuerendiſsimus Petrus de Montoya prædeceſſor noſter fatetur accepiſſe, dotauit quidam Epiſcopus Palentinus, nominatus Petrus, qui fuit Socius Sancti Petri Oxomenſis Epiſcopi, dum viueret, cuius ſanctum corpus olim in Capella prima, quæ eſt ad dexteram introitus Eccleſiæ, quæ nunc dicitur Capella Reſurrectionis, Dei miſeratione erat conditum; nunc verò Capella eius nomini dicata, eregione portæ principalis, quæ ad forum vergit. Alij dicunt eam dotaſſe Epiſcopum Ioannem Alvari, qui fuit Regius Cancellarius, cuius ſepultura in medio dictæ Capellæ Reſurrectionis apparet, & dicta Capellania debet cantari pro Anima Regis Sanctij Patris Regis Ferdinandi, vt in quodam priuilegio continetur, propter donationem, & gratiam factas ſupra nominato Epiſcopo Ioanni Alvarez, & ſucceſſoribus ſuis. Capellanus ergò illius Capellaniæ, qui ad præſens eſt, eſt Doctor Michaël de Spinoſa, tenetur celebrare in dicta Capella Sancti Petri Oxomenſis, & non alibi, dum impedita non fuerit, tres Miſſas in qualibet Hæbdomada pro anima ipſius Epiſcopi fundatoris, & dicti Regis Sanctij; prædictus verò Capellanus, vltra Miſſarum celebrationem, & ſeruitium Chori tenetur, vt ſui prædeceſſores, ad onera quæ ſequuntur. Poſt primas quidem Veſperas feſti tranſlationis Beati Petri Oxomenſis, dat collationem Priori, & toti Capitulo, Capellaniſque dictæ noſtræ Eccleſiæ. Sequenti verò dictæ feſtiuitatis die, cui-

libet Beneficiato in Dignitate conſtituto,ſi Miſſæ Maiori interfuerit, traddit quartam partem vnius arietis, & dimidiam boni vini amphoram,quæ eſt quatuor metretæ,vel acumina,octoque competentes pannes, cuilibet verò Canonicorum,dictæ Miſſæ Maiori intereſſentium, horum dimidium. Prior autem recipit, vt Dignitas, & Canonicus, ratione Canonicatus ſibi annexi; prouiſio huius Capellaniæ pertinet ad Epiſcopum.

## Quinquageſimum primum Statutum.

### *TERTIA CAPELLANIA SANCTI Dominici.*

ITem Capellaniam,quam nunc tenet Petrus Ruiz,creditur dotaſſe Ioannes de Villamaior, qui fuit Dominus Villæ,& Fortalitij de Vzero, cuius corpus reconditur in tumba quadam,quæ eſt in Capella Sancti Dominici,vbi eſt Imago Chriſti Crucifixi; tenetur dictus Capellanus, & ſui ſucceſſores in eadem Capella celebrare tres Miſſas in qualibet Hebdomada pro anima dicti fundatoris;dictæque Capellaniæ præſentatio, & collatio ad Epiſcopum pertinet.

## Quinquageſimum ſecundum Statutum.

### *QVARTA CAPELLANIA PETRI, & Pauli Apoſtolorum.*

RVrſus eſt alia Capellania, quàm nunc poſsidet Gregorius de Valcuñana, quàm dotauit Reuerendiſsimus Epiſcopus Barnabas in Capella Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum; tenetur dictus Capellanus eiuſque ſucceſſores ibidem celebrare tres Miſſas, in qualibet Hebdomada pro anima defuncti fundatoris; eiuſque præſen-

tatio,& collatio ad Epiſcopũ pertinet;annexa huius Capellaniæ,iam ſunt reſumpta,ſeu conuerſa in diſtributiones Capellanorum,per obitum Didaci de Fructus Monte, vt de Vicaria dictum eſt.

## Quinquageſimum tertium Statutum.

### *DE QVINTA CAPELLANIA Sancti Michaëlis.*

ITem Capellaniam,quàm nunc poſsidet Ioannes Sanz de Peñaranda,dotauit Reuerendiſsimus Epiſcopus Laurentius in Altari Sancti Michaëlis;dictus Capellanus, eiuſque ſucceſſores tenentur ibidem celebrare tres Miſſas in qualibet Hebdomada pro anima dicti fundatoris; eiuſque præſentatio,& collatio pertinet ad Epiſcopum, fuit itidem reſumpta per obitum Petri de Prado.

## Quinquageſimum quartum Statutum.

### *SEXTA CAPELLANIA SANCTI. Laurentij.*

INſuper eſt alia Capellania,quàm nunc poſsidet Franciſcus de Rebolledo,& eſt oppinio eam dotaſſe prædictum Ioannem de Villamaior in Altari Sancti Laurentij,quòd eſt etiam Altare Sancti Dominici; dictus Capellanus,eiuſque ſucceſſores tenentur celebrare ibidem tres Miſſas in qualibet Hebdomada pro anima dicti fundatoris; eius præſentatio, & prouiſiò pertinet ad Epiſcopum.

## Quinquageſimum quintum Statutum.

*SEPTIMA CAPELLANIA SANCTÆ Annæ.*

ITem aliá Capellaniam, quàm nunc poſsidet Ioannes Gonçalez, dotauit quidam Prior huius Eccleſiæ, nominatus Ferdinandus de Rojas, in Altari Sanctæ Annæ; Capellanus ſupradictus, & eius ſucceſſores tenentur celebrare ibidem duas Miſſas in qualibet Hebdomada pro anima dicti fundatoris, cujus corpus fertur eſſe ſepultum in porta Capellæ Sanctæ Annæ; eius præſentatio; & collatio pertinet ad Epiſcopum.

## Quinquageſimum ſextũm Statutum.

*OCTAVA CAPELLANIA SANCTI Sebaſtiani.*

ITem aliam Capellaniam, quàm nunc poſsidet Vicentius de la Torre, dicitur dotaſſe Reuerendiſsimum Epiſcopum Ioannem in Capella Sancti Sebaſtiani; Capellanus, & eius ſucceſſores tenentur ibidem celebrare vnam Miſſam in qualibet Hebdomada pro anima dicti fundatoris; eius præſentatio, & prouiſio ad Epiſcopũ pertinet, eſt jam reſumpta per obitum Antonij del Spinar.

## Quinquageſimum ſeptimumStatutum.

*NONA CAPELLANIA SANCTI Iacobi Zebedei.*

ITem eſt alia Capellania, quàm dotauit Prior Martinus Sanctij de Salmeron in Altari Sancti Iacobi

Apoſtoli, quòd eſt eregione Capellæ Archidiachoni Sorienſis. Corpuſque dicti Prioris propè dictum Altare ſepultum eſt, poſsidet eam nunc Petrus Iordam, qui eiuſque ſucceſſores tenentur ibidem celebrare vnam Miſſam in duabus Hebdomadis pro anima dicti fundatoris. Inſuper tenentur in perpetuum dare duas faſceas cereas, quæ ardeant quolibet die per ſex menſes cuiuslibet anni in Miſſa Maiori, dum dicitur *Sanctus*, vſque ad *Pater noſter* excluſiuè, nàm reliqua anni medietas, prouidetur expenſis fabricæ noſtræ Eccleſiæ. Huius Capellaniæ prouiſio ad Epiſcopum pertinet, præcedente tamen præſentatione Prioris, & Capituli, eſt reſumpta per obitum dicti Petri Iordanis.

## Quinquageſimum octavum Statutum.

### *DECIMA CAPELLANIA*

### *Sancti Bartholomæi.*

COEterum eſt alia Capellania, quàm fundauit Reuerendiſsimus Epiſcopus Petrus de Montoya in Altari Sancti Bartholomæi, & eam pro nunc poſsidet Lupus de Cardeña, & quandocumque contigerit vaccare, Prior, & Capitulum tenentur eligere duos bonos viros Presbyteros honeſtos, & bonæ vitæ, & præſentare Epiſcopo pro tunc exiſtenti, vel eius Vicario, qui vni illorum ſufficentiori, & honeſtiori provideat de prædicta Capellania, & Capellanus prouiſus, & inſtitutus tenetur dicere in dicto Altari tres Miſſas in qualibet Hebdomada pro anima dicti fundatoris, & parentum eius.

## Quinquageſimum nonum Statutum.

### *VNDECIMA CAPELLANIA Sancti Auguſtini.*

ITem eſt vna alia Capellania in Capella Sancti Auguſtini, quàm fundauit, & dotauit dictus Reuerendiſsimus Epiſcopus Petrus de Montoya, eam pro nunc poſsidet Ioannes de Puelles, & quandocumque cōtigerit vaccare, Prior, & Capitulum tenentur eligere duos bonos viros Presbyteros, honeſtos, & bonæ vitæ, & conſcientiæ, & præſentare Epiſcopo, pro tunc exiſtenti, vel eius Prouiſori, qui vni illorum ſufficentiori, & honeſtiori provideat de dicta Capellania, & Capellanus prouiſus, & inſtitutus tenetur dicere, ſeu celebrare tres Miſſas in Altari Sancti Auguſtini. Tenetur celebrare etiam, vnam aliam Miſſam in qualibet ſeptimana in diebus veneris in Capella Hoſpitalis pro anima dicti Epiſcopi fundatoris, conſanguineorumque ſuorum, pro vt Nos ordinauimus in inſtitutione Capellaniæ, & in ordinatione Hoſpitalis. Tenetur inſuper habere adminiſtrationem prædicti Hoſpitalis, & curam pauperum, & reddituum Hoſpitalis, reddendo rationem de redditibus, & ſumptibus, provt in ordinatione Hoſpitalis latius continetur. Tenetur etiam orare pro anima dicti Epiſcopi, & parentum ſuorum; hæc Capellania eſt iam reſumpta per obitum.

## Sexageſimum Statutum.

### *DVODECIMA CAPELLANIA Sancti Iacobi Alphei.*

ESt alia Capellania, quàm dotauit Alvar Garcia de Saagun in Capella Sanctæ Annæ, quàm modo

poſsidet Didacus Sanctus de Aragon, cuius præſentatio pertinet ad Priorem, & Capitulum. Tenetur Capellanus, & ſui ſucceſſores dicere vnam Miſſam in qualibet Hebdomada pro anima fundatoris. Hæc reſumpta eſt per obitum Petri Sanchez de Toro.

## Sexageſimum primum Statutum.

### *DECIMA TERTIA CAPELLANIA Transfixionis Beatæ Mariæ.*

EST, & alia Capellania, quæ intitulatur Transfixionis Beatæ Mariæ dotata in Capella Transfixionis, quā quidem Capellaniam Nos ſimul cum Capitulo affectauimus perpetuò, & incorporauimus officio muſici, ſeu MagiſtroOrgani, cuius prouiſio pertinet ad Priorem, & Capitulum, præcedentibus tamen edictis. Capellanus dictæ Capellaniæ tenetur dicere quatuor Miſſas in qualibet Hebdomada in dicta Capella, quæ eſt coniuncta Capellæ Sancti Bartholomæi ad partem ſuperiorem, pro fundatoribus, quorum non reperitur memoria, & eſt iam reſumpta per obitum Ferdinandi Ruiz, ſed hæc Capellania, poſtquam eſt applicata portio huius Eccleſiæ eidem organorum pulſatori, confertur Capellano Cantori, vel Capellano, qui cum alijs deſeruiat in Choro.

## Sexageſimum ſecundum Statutum.

### *DECIMA QVARTA CAPELLANIA Deſcenſionis Beatæ Mariæ.*

EST alia Capellania, quàm dotauit Alphonſus Diaz de Palacios Archidiaconus Sorienſis in Capella Sancti Ildephonſi, & intitulatur Deſcenſionis Beatæ Mariæ; poſsidet eam nunc Antonius de Rios & Caſtillo, qui

ſui-

ſuique ſucceſſores tenētur dicere quatuor Miſſas in qualibet Hebdomada in dicta Capella pro anima fundatoris. Huius autem Capellaniæ præſentatio, cum vacauerit pertinet ad Priorem, & Capitulum noſtræ Eccleſiæ.

## Sexageſimum tertium Statutum.

### *DECIMA QVINTA CAPELLANIA*

*Sanctæ Catherinæ.*

EST alia Capellania, ſita in Capella Sanctæ Catherinæ, quæ eſt in Clauſtro huius Eccleſiæ, quàm fundauit Petrus Garſias de la Barrera Canonicus huius Eccleſiæ, poſsidet eam Ioannes Ximeno, qui ſuique ſucceſſores in eadem Capella tenentur celebrare tres Miſſas pro anima fundatoris Feria ſecunda, ſexta, & Sabbato, cuiuslibet Hebdomadæ. Præterea omnibus diebus Sabbatinis, ac in Vigilia Sanctæ Catherinæ tenetur prouidere de oleo, vt lampas, quæ eſt in dicta Capella, accendatur per totam noctem; & cùm hæc Capellania vacauerit, Prior, & Capitulum propinquiorem ex conſanguineis dicti fundatoris Epiſcopo, vel eius Vicario præſentant, vt de eadem inſtituatur.

## Sexageſimum quartum Statutum.

### *DECIMA SEXTA CAPELLANIA*

*Sancti Ildephonſi.*

EST alia Capellania, quæ intitulatur Sācti Ildephonſi, quàm inſtituit, & dotauit dictus Alphonſus Diez de Palacios Archidiaconus Sorienſis in dicta Capella Sancti Ildephonſi, & eam poſsidet modo Didacus de Miranda, qui ſuique ſucceſſores tenentur celebrare in qualibet Hebdomada in dicta Capella tres Miſſas pro anima

fundatoris;& eius præſentatio pertinet ad Priorem, & Capitulum.

## Sexageſimum quintum Statutum.

### *DECIMA SEPTIMA CAPELLANIA Sancti Bartholomæi.*

INſuper eſt alia Capellania nouiter fundata, quæ eſt ſecunda in Capella Sancti Bartholomæi, quàm fundauerunt Ferdinandus,& Alphonſus de Montoya laici huius Oppidi incolæ,& eam modo poſsidet Hieronymus de Lezcano,qui tenetur dicere in dicta Capella tres Miſſas in qualibet Hebdomada pro anima fundatorum; eius præſentatio pertinet ad Priorem, & Capitulum huius noſtræ Eccleſiæ.

## Sexageſimum ſextum Statutum.

### *DECIMA OCTAVA CAPELLANIA Sanctorum Blaſij,& Nicolai.*

ITem eſt alia Capellania, quàm dotauit Reuerendiſsimus Petrus de Montoya Epiſcopus, quæ eſt annexa officio muſici,Cantoris Baſij, & quot annis nominatur in Capitulo,in Vigilia Natiuitatis Dominis Capellanus qui eam poſſederit, qui tenetur dicere in qualibet ſeptimana pro anima fundatoris in Altari Sanctorum Blaſij, & Nicolai, quòd eſt à tergo noſtræ Sedis Epiſcopalis in Choro.

## Sexageſimum ſeptimum Statutum.

### *DECIMA NONA CAPELLANIA,*
*quæ eſt tertia Sancti Ildephonſi.*

EST alia Capellania, quæ eſt tertia Sancti Ildephonſi, quæ modo eſt annexa officio Cātoris Alti, quàm dicitur fundaſſe dictum Alphonſum Diez de Palacios Archidiaconum de Soria. Et tenetur dicere Capellanus pro anima dicti fundatoris vnam Miſſam in duabus Hebdomadis in dicta Capella. Eius nominatio fit in quolibet anno à Capitulo in Vigilia Natiuitatis Domini; & eſt iam reſumpta.

## Sexageſimum octavum Statutum.

### *VIGESIMA CAPELLANIA, QVÆ EST*
*Anniuerſariorum.*

EST alia Capellania Anniuerſariorum, eius Capellanus debet eſſe Sacerdos honeſtæ vitæ, & bonæ cōuerſationis, & nominatur Capellanus quot annis in Capitulo in Vigilia Natiuitatis Domini per Capitulum, quia hæc Capellania eſt annexa officio Tenoris, & Capellanus tenetur dicere Miſſas de Requiem diebus Anniuerſariorũ, & Ferialibus, quāquàm Anniuerſaria certa pro tunc non habeantur. Item diebus Vigiliarum ſolemnium, quando Miſſæ Vigiliæ cantantur ad Altare maius, ſi in illa die ocurrat aliquod Anniuerſarium Capituli, Capellanus ſupradictus in Capella Apoſtolorum Petri, & Pauli, vel Sancti Ioannis Baptiſtæ dicit Miſſam ſummiſſa voce. Idem fiat quando in quadrageſima occurrit aliquod feſtũ dupplex, quod ſit quatuor caparum, quia tunc ad Altare maius Miſſa Ferialis præcedit maiorem. Item tenetur di-

cere Miſſam ante Altare maius, quandocumque Prior, & Capitulum faciunt officium ſimplex alicuius defuncti, pro quo officio datur eidem Capellano vnum argẽtum, eodem modo dicit Miſſas Anniuerſariorum Capituli in cantu; hæc Capellania eſt reſumpta per obitum.

## Sexageſimum nonum Statutum.

### *VIGESIMA PRIMA CAPELLANIA, quæ eſt Sacrarij.*

CApellanus Sacrarij nominatur per Theſaurarium Eccleſiæ noſtræ Oxomenſis in Vigilia Natiuitatis Domini, approbatur per Capitulum, remouetur que auctoritate ſtatuti ad hoc per Reuerendiſsimum Petrum de Montoya Epiſcopum æditi, & talis Capellanus, intitulatur Capellanus Theſauri, ſeu Sacrarij, & dicitur etiam cuſtos Theſauri, & ideò debet eſſe Sacerdos vitæ probabilis, fidelis, & prudens, eius officium eſt, habere claues Capellæ Theſauri, & ibi de nocte dormire, & omnia alia facere, vt in titulo de cuſtode Theſauri, & Sacrarij latiùs continetur, tenetur dicere qualibet Hebdomada tres Miſſas in Altari Beatæ Mariæ in Capella Sacrarij, & in iſtis Miſsis, tenetur orare pro Epiſcopis, & Beneficiatis Eccleſiæ, & confratribus viuis atque defunctis, & pro benefactoribus Eccleſiæ, poſsidet eam nunc Petrus de Lezcano. Et eſt iam reſumpta per obitum Petri Iordan Theſaurarij huius Eccleſiæ Oxomenſis.

## Septuageſimum Statutum.

### *VIGESIMA SECVNDA CAPELLANIA, quæ eſt Veſtuarij, ſecunda Sanctæ Annæ.*

EST alia Capellania, ſita in Capella Sanctæ Annæ ſupra dicta, & eſt annexa officio Veſtuarij, & nominatur per Capitulum ſingulis annis Vigilia Natiuitatis Domini, teneturque dicere in qualibet Hebdomada vnicam Miſſam in dicta Capella pro anima cuiuſdam Archidiaconi Acenſis, qui fertur eam dotaſſe; & eſt iam reſumpta per obitum.

## Septuageſimum primum Statutum.

### *VIGESIMA TERTIA CAPELLANIA Sancti Andreæ.*

EST demum alia Capellania, ſita in Capella Sancti Andreæ, quàm dicitur fundaſſe quemdam Ferdinandum de Borobia, & eſt annexa officio muſici Tiple, nominaturque ſingulis annis per Capitulũ in Vigilia Natiuitatis Domini, tenetur dicere Capellanus vnicam Miſſam in qualibet Hebdomada pro anima fundatoris; eſt iam reſumpta per obitum.

## Septuageſimum ſecundum Statutum.

### *DE CAPELLANIA MAIORI.*

PRæterea eſt alia Capellania, quæ dicitur Maior in Capella Sancti Ioannis Baptiſtæ, quàm inſtituit, & dotauit dictus Reuerendiſsimus Epiſcopus Petrus de Montoya, & tenētur eam cantare Archipresbyter Oxo-

menſis Vicarius, & omnes Capellani præfatæ noſtræ Eccleſiæ modo,& forma infraſcriptis.

Tenentur cantare in perpetuum omnibus diebus Sabbati per totum annum in Aurora, antequàm prima incipiatur, vnam Miſſam ſolemnem Beatæ Mariæ, cum Reſponſorio Defunctorum in fine,etſi in Sabbato occurrat aliquod feſtum,vel impedimentum, ob quod illa die Miſſa non poſsit cantari,cantetur,& dicatur in ſexta Feria præcedenti,vel die ſequenti.

Item tenentur cantare ſimiliter in Aurora Miſſam ſolemnem omnibus diebus Feſtiuitatum Beatæ Virginis Mariæ,etſi aliqua feſtiuitas Beatæ Virginis fuerit occupata propter aliquod feſtum, vel ob alium Canonicum impedimentum,propter quod Miſſa tali die non poſsit cantari,dicatur Miſſa in Vigilia eiuſdem feſtiuitatis;feſtiuitates autem in quibus debent Miſſæ cantari, ſunt quæ ſequuntur.

Feſtum Beatæ Mariæ de Pace,ſcilicèt quando Beatus Ildephonſus ab eadem domina noſtra recepit Planetam, ſeuCauſullam in Eccleſia Toletana:dicitur etiam feſtum Deſcenſionis Beatæ Mariæ, celebratur viceſsimaquarta menſis Ianuarij.

Item feſtum Purificationis BeatæMariæ,celebratur ij. Februarij.

Item feſtum Annunciationis eiuſdem,celebratur xxv. Martij.

Item feſtum Viſitationis, ſeu Præſentationis Beatæ Mariæ quando iuit in Montana, Viſitauitque Sanctam Eliſabeth,celebratur ij.Iulij.

Item feſtum Beatæ Mariæ de Niuibus, celebratur v. Auguſti.

Item feſtum Aſſumptionis eiuſdem,celebratur xv. Auguſti.

Item feſtum Natiuitatis eiuſdem Beatæ Mariæ,celebratur viij.Septembris.

Item

Item feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ, celebratur viij. Dezembris.

Item feſtum aliud Beatæ Mariæ, quòd dicitur commemoratio, aliàs Sancta Maria de la O, celebratur xviij. Decembris.

Item feſtum Natiuitatis Ioannis Baptiſtæ, celebratur xxiv. Iunij, & debet dici Miſſa ſolemniter, & alta voce ante Primam.

Item ſimili modo tenentur ſupradicti cantare vnam aliam Miſſam de Requiem omnibus diebus Lunæ in perpetuum, & in fine debet dici Reſponſorium ſolemniter cantando, etſi illa dies fuerit occupata, Miſſa de Requiem dicatur ſequenti die.

## Septuageſimum tertium Statutum.

*QVOD CAPELLANI TENENTVR habere curam Altaris ſibi præſignati.*

MAndamus vlterius dictis Capellanis, quòd vltra Miſſas dicendas ordine prælibato, quilibet eorum Altare ſibi præſignatum diligenter reſpiciat, ne aliquid immundum in eo appareat, quòd videntium aſpectum offendat, quòd ſi ad reparandum aliquid videat, quòd operarium, vel Theſaurarium pertineat, illum vel illos requirat, & per illos fieri procurent, in quo ſi prædictus Operarius, vel Theſaurarius, requiſitus negligens fuerit, talis Capellanus Priorem, vel Præſidem requirat, qui protinus cum fuerint requiſiti, illa omnia, & ſimilia reparari procurent. Nec propter hoc volumus, quòd dictus Prior, requiſitionem talem ſemper expectet, cum ex officio ſuo ad hoc teneatur; qua propter vt illa ſolicitè procuret in Domino exhortamur.

## Septuageſimum quartum Statutum.

### *DE EXORTATIONE AD CAPELLANOS.*

INiungimus etiam dictis Archipresbytero, Vicario, & Capellanis, ac eorum cuilibet, quòd tam bona, quæ in communi poſsident, quàm alia mobilia, & immobilia, quæ quilibet eorum in ſua Capellania poſsidet, omnia integra, & illæſa conſervent. Sed quod ſuper omnia eoſdẽ ad monemus, & in Domino obſecramus, quòd in ſacrificijs ſuis ſpecialem memoriam faciant de inſtitutoribus, & dotatoribus prædictarum Cappellaniarum, orando Dominum pro animabus eorum ſuorumque progenitorum, & aliorum ad illos pertinentium.

## Septuageſimum quintum Statutum.

### *DE OFFICIALI DISTRIBVTIONVM Capituli.*

AD Pitantiarium, ſeu Officialem diſtributionum Capituli expectat reſpicere, cum diligentia de Beneficiatis, ſcilicèt, Dignitatibus, Canonicis, & Portionarijs, qui ſunt intereſſentes Canonicis Horis, & Miſsis, & Reſponſorijs, Anniuerſariorum, & qui ſunt abſentes, & abſentias, in libro ad hoc facto, ſcribere, vel notare, idque faciat in Choro, & non alibi, quòd ſi alibi fecerit pœnam incurrat vnius denarij argenti fabricæ applicandi. In eodem libro etiam ſignanter ponere debet diem receſſus Beneficiati ab Eccleſia, & etiam redditus ad eam. Item ſtatuimus, & ordinamus, quod eligatur ſingulis annis per Capitulum in Vigilia Natiuitatis Domini, vt moris eſt, atque cum primum fuerit electus, iuret de fideliter exercendo prædicto officio, & horis per eum (vt dictum eſt)

nota-

notatis librum præſentet in Choro Priori, vel pro eo Præſidi, quoties illud petierit, quòd ſi non fecerit mulctetur per dictum Priorem, vel Præſidem in pitantia ex illa hora ſibi obveniente, & creſcente in obedientia creſcat mulcta.

Tenetur inſuper ſtipendia pro Matutinis ſolemnibus, & capis quæ ſumuntur in Choro, & pro Anniuerſarijs, quorum ſtipendia diſtribuuntur, cum primum celebrantur, ab æconomo recuperare, & inter eos, qui illa lucrati fuerint diſtribuere, idemque faciat de alijs manualibus extraordinarijs, ſi quando obvenerint; prædicto verò officiali abſente, qui Præſidet in Choro, ſuum munus adimpleat, vel alteri committat.

## Septuageſimum ſextum Statutum.

### *DE VISITATORIBVS DOMORVM, & poſſeſsionum, qui vulgariter dicuntur Diputados.*

ORdinamus prætereà, & ſtatuimus, quòd computatores, & Viſitatores domorum, vulgariter dicti *Diputados*, eligantur annuatim à Capitulo in Vigilia Natiuitatis Domini, & ſint duo Beneficiati, vnus in Dignitate conſtitutus, & alius de Canonicis. Ita quod quando in Dignitate conſtitutus fuerit vnius Chori, Canonicus ſit alterius, & è contra. Iſtorum officium ſit cum Priore, vel pro eo Præſide, in Capitulo tamen huius noſtræ Eccleſiæ accipere rationem ab æconomo Capituli, vel à Pitantiario, ab Officiali diſtributionum, ab Operario ab Adminiſtratoribus Hoſpitalis, & arcæ miſericordiæ, & eleemoſynæ, & à quibuſcumque alijs Adminiſtratoribus de per eoſdem in ſuis officijs, tam in recipiendo, quàm in diſtribuendo adminiſtratis. Videreque, & determinare, quid cuilibet Beneficiatorum Capituli de redditibus mē-

ſæ Capitularis, quotidianis diſtributionibus, Anniuerſarijs,& camera obveniat. Volumus tamen, quòd in ratione ſumenda ab operario,& adminiſtratoribus Hoſpitalis, arcæ miſericordiæ, ac eleemoſynæ de per eos adminiſtratis Epiſcopus, vel in eius abſentia Vicarius Generalis, cum prædictis Priore, vel pro eo Præſide, & Computatoribus, dictis rationibus interſit. Teneantur prætereà, dicti Prior,& Computatores ſemel in quolibet Biennio, in menſe Martij, viſitare domos, hæreditates, poſſeſsionesſque omnes ad Menſam Capitularem pertinentes, nec non domos, quas inhabitant ſinguli Beneficiati, tam in Dignitatibus conſtituti, quàm etiam Canonici. Item domus Capellaniatum,& quæ in hac Villa ſunt cenſuatæ,& inſuper domus ad fabricam Eccleſiæ pertinentes operarius cum eis viſitet. Porrò peractis dictis viſitationibus prædicti Prior,& Computatores Capitulo eas referant,& Capitulum, ſi aliquid reparandum, vel reſarciẽdum viderit, illum vel illos, cuius vel quorum eſt, illud reparare, vel reſarcire, coram Notario, & Teſtibus, quod infrà competentem terminum reparent, vel ſarciant in forma requirant, etſi talis negligens in reparando Beneficiatus fuerit, vſque quo reparationem perficiat in menſa communi,& quotidianis diſtributionibus, pro abſenti habeatur. Si autem Capellanus, vel laicus eo modo, quo melius Capitulo viſum fuerit ad reparationem compellatur. Volumus denium, quod ſi Capitulum in his negligens fuerit ad illas reparationes, vel refectiones, ex tunc maneat obligatum; cum autem tàm iſtis, quàm alijs quibuſcumque Capitularibus aliqua negotia commiſſa fuerint, teneantur illa perficere tempore præfixo; & Capitulo ſignificare, qualiter adimpleuerint, quod ſi non fecerint, pœna vnius argenti pro eleemoſynis pauperum vnuſquiſque mulctetur.

Sep-

# Septuageſimum ſeptimum Statutum.

## *NOTARIVS, SEV SECRETARIVS Capituli.*

OFficium Notarij, ſeu Secretarij Capituli eſt redigere in ſcriptis omnes actus Capitulares, ad quod Notarius eſt neceſſarius, & de illis fidem facere, & inſtrumenta ſignare, & ſignata, die Natiuitatis Domini Capitulo præſentare, vt in Archiuo Theſauri Eccleſiæ, cum alijs ſcripturis in bona cuſtodia reponantur. Pertinet ad ipſum intereſſe omnibus computationibus, quæ à Priore, vel Præſide, & Computatoribus per annum fiunt, & eas ſubſcribere, vt fidem faciant, & intereſſe omnibus actis Capitularibus, & poſſeſsionibus, quæ iuſſu Capituli Beneficiatis Eccleſiæ tradduntur, & earum inſtrumenta vnicuique traddere, pro quibus recipit idem, quod Portarius, vt in eius ſtatuto continetur ex antiqua conſuetudine: nunc autem ſervetur conſuetudo recepta à Capitulo. Item tenetur copias diplomatum, ſeu aliorum titulorum, qui in Capitulo præſentantur, & pro quibus dictæ poſſeſsiones tradduntur ſignata, & authentica in dicto Archiuo Theſauri reponere, vt inibi ſerventur, quod præcipimus, vt fiat expenſis Beneficiatorum, quibus dicta poſſeſsio tradditur. Tenetur prætereà commiſsiones factas Capitularibus ſcribere, & in Capitulo proximo eaſdē, & negotia, quæ ex vno Capitulo in alium deferuntur proponere, & pœnam vnius argenti, quam dictas commiſsiones, non adimplentes incurrunt ab illis de mandato Capituli recuperari in eleemoſinas pauperum.

## Septuageſimum octavum Statutum.

### *ÆCONOMVS, SEV MAIORDOMVS Capituli.*

ÆConomi Capituli officium eſt petere, & recipere omnes redditus panis, & vini,pecuniarumque,ad Mēſam Capitularē,& ad diſtributiones,& ad omnia Anniuerſaria Capituli,& Miſſas Beatæ Mariæ,& ad Cameram Canonicorum pertinentium,& eligitur per Priorem,& Capitulum,debet eſſe perſona prudens, & diligens.De quo ſtatuimus, & ordinamus, quod quando aſſumptus fuerit ad officium,iuramentum de fideliter,& diligenter exequendo,& tractando ſuum officium, Capitulo congregato in manibus Prioris,vel Præſidis illico faciat,& quod non duret vltra quadriennium plus, vel minus ad arbitrium Capituli. Teneatur prætereà dictus æconomus adimplere omnes, & ſingulas conditiones, in contractu contentas poſitas,vel imponendas per Capitulum, omnia illa demum,quæ conſuetudinis Eccleſiæ eſt illum facere,vt bonus miniſter faciat, & vt bonum diſpenſatorem decet, illa compleat.

## Septuageſimum nonum Statutum.

### *DE MAGISTRO CAPELLÆ.*

OFficium Magiſtri Capellæ eſt docère pueros planam Muſicam, & cantum qui vulgariter *dicitur de Organo, & contrapuncto.* Specialiter tenetur docère Infantes Chori,ſine aliquo ſtipendio. Porrò ſi Prior tradiderit,& tres pueros docendos,& quilibet alius Beneficiatus duos,ſtatuimus,quod teneatur illos prædictum cātum,& muſicam docère, data illi dupla vna aurea, pro

quolibet eorum, nec poſsit vltra petere. Tenetur adeſſe in Schola cantus, cum primum pulſatur ad primam, vſque quo incipiatur, & finitis horis, anteprandium, vnam horam. Poſt prandium autem, tenetur adeſſe in Schola à Prima hora, vſque ad Nonam, quod ſi Nona dicta fuerit, ante prandium, adeſſe tenetur, cum primum pulſatur ad veſperos, quo vſque incipiantur, & finito Completorio, per vnam horam integram. Et quia initium ſapientiæ timor Domini eſt, eundem in Domino hortamur, vt vltra ea quæ ſui muneris ſunt, curet dictos pueros rebus diuinis inſtituere, & vt ſint mundi, tàm interius, quàm exterius beneque morigerati ſtudeat. Cœterum ordinamus, quod Prior præfatæ noſtræ Eccleſiæ teneatur inquirere circà prædictum Officialem, ſi diligenter (vt debet) officium ſuum exercet, etſi in officio deficere illum repererit, Capitulo notificet. Etſi monitus per Priorem, & Capitulum ſe corrigere neglexerit, ab officio deponatur, & alius ſufficiens, & idoneus loco eius ſubrogetur. Rurſus ſi quouis alio modo prædictum officiũ vacare contingat. Prior, & Capitulum teneantur infrà menſem de familiaribus Eccleſiæ, vel de continuè in ea reſidentibus perſonam ad exercitium prædicti officio habilem eligere. Quod ſi in Eccleſia, nec in iſtoOppido Burgi talis non repertur fuerit, infrà trimeſtre, prædicti Prior, & Capitulum teneantur aliunde quærere, & perſonam ſufficientem ad prædictum officium realiter, & cum effectu, adducere, habito ſemper tali reſpectu, quod Eccleſiæ prouideatur principalius, quàm perſonæ.

## Octuageſimum Statutum.

### *DE OCTO INFANTIBVS CHORI.*

OCto Infantes Chori tenentur dicere lectiones, Reſponſoriola, Verſiculos, & deferre Cereos, dicunt etiam Kalendam, & pronuntiant lunam poſt primã in Choro, abſentibus ab eo, vel impeditis alijs duobus Infantibus maioribus, qui à Capitulo eliguntur. Recitant inſuper quotidie in Aurora tres Pſalmos incipientes, *Miſerere mei Deus* pro anima Reuerendiſsimi Epiſcopi Petri de Montoya ſucceſſorumque ſuorum. Tenentur deſervire Choro in omnibus horis, & venire ad Nonam cũ Canonicis, quòd ſi in his, vel in alijs, quæ ad eorum officium pertinent negligentes, vel tranſgreſſores fuerint, corriganter, & inſtruantur in Choro per cantorem. Teneantur prætereà dicti Infantes, qualibet die Sabbati, excutere ſedes Chori, & libros à pulvere. Rurſus ex ſtatuto antiquo bonæ memoriæ Epiſcopi Petri de Montoya, didicimus, quod in hac Eccleſia quatuor tantum Infantes Chori Eccleſiæ huic, deſerviebant, & ipſe Epiſcopus addidit alios duos, pro quorum ſubſtentatione voluit, quòd à Menſa Epiſcopali perpetuis temporibus, darentur eis per Receptorem ſuum, ſuorumque ſucceſſorum annuatim mille mara itini, ſolvendi in Natiuitatibus Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Sancti Ioannis Baptiſtæ pro medietate, & diuidendi inter eos, cum alijs quos à Menſa Capitulari, Infantes ſolent recipere. Deinde Reuerendiſsimus Epiſcopus Alphonſus Henriquez alios duos Infantes ſuperaddidit, & pro eorum ſubſtentatione, & indumentis omnium octo, ex fructibus Menſæ Epiſcopalis extraxit, & eiſdem vniuit præſtimonium de *Quintana Redonda* quem modo poſsident. Iſti quatuor fuerunt ſuper

addi-

additi, cum eiſdem oneribus, quibus tenebantur reliqui.

## Octuageſimum primum Statutum.

### *DE DVOBVS INFANTIBVS Maioribus.*

SVnt prætereà, alij duo Infantes, quorum officium eſt dicere Kalendam, & pronuntiare lunam in Choro, & qui ſunt Hebdomadarij, & Caperi in Miſsis maioribus, & afferre, & deferre libros Chori, & Proceſsionũ, & ponere eos in Faciſtorijs, & regiſtrare, ac prouidere officia, quæ cantanda ſunt, & claudere atque aperire oſtia Chori nominanturque iſti à Capitulo quotañis in Vigilia Natiuitatis Domini.

## Octuageſimum ſecundum Statutum.

### *DE PVLSATORE MVSICÆ Organi.*

OFficium pulſatoris muſicæ Organi eſt pulſare organa in feſtiuitatibus ſolemnibus, & diebus Sabbati ad Miſſas Beatæ Mariæ, & duplicibus, & ſemiduplicibus, & in Dominicis diebus, præter quam Aduentus ſeptuageſimæ, & quadrageſimæ. Et debet etiam pulſare organa, alijs temporibus anni, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ, & omnibus alijs diebus ad arbitrium Capituli, quod ſi negligenter dictus officialis exercuerit officium ſuum, per Priorem, vel Præſidem mulctetur. Huic officio eſt iam annexa quædam Capellania, præter quam datur dicto Magiſtro ſalarium pro labore, quod ſtatuimus eſſe ſolvendum à fabrica huius Eccleſiæ, & menſa communi promedietate (vt moris eſt) ſecundum, quod cum dicto

muſico fuerit concordatum, prouideturque à Capitulo, præcedentibus edictis publicis; hæc erat antiqua conſuetudo, ſed nunc eſt huic officio annexa portio noſtræ Eccleſiæ Oxomenſis.

## Octuageſimum tertium Statutum.

### DE OFFICIO PORTARII, VEL *Ianitoris.*

APprobantes verò laudabilem conſuetudinem noſtræ Eccleſiæ in his etiam, quæ ad officium Portarij, vel Ianitoris expectant, ea præſentibus inſeri fecimus, quæ talia ſunt. Primò dicti Portarij eſt vocare ad Congregationes Capitulares de mandato Epiſcopi, vel Prioris, vel Præſidis. Item obſeruare tenetur ad oſtium Chori, dum horæ dicuntur, & Diuina Officia celebrantur, & ad oſtium Capituli, dum Beneficiati ſunt in Capitulo. Item commitari Subdiaconum euntem, & redeuntem, ad cantandum Epiſtolam, & Diaconum ſimiliter ad cantandum Euangelium, ſic etiam comitatur contionatorem ad recipiendam benedictionem, vſque ad ſuggeſtũ, tam euntem quàm redeuntem ad Chorum.

Item Sacerdotem Altare thurificantem, tam in ſolemnibus, quàm duplicibus diebus, & per octauas, & Cantores in Miſsis Feſtorum duplicium *Gloria in excelſis Deo, & proſam* Sacerdoti celebranti denunciantes, nec non, & Cantorem, quando ad Altare maius, pergit aliquid denunciaturus.

Item in Proceſsionibus, quæ fiunt intra, & extra Eccleſiam aſsiſtit Portarius in medio illarum dirigendo viam, & Clericos, & Laicos, vt ordinate procedant. Inſuper ad ipſum attinet in Prima Cimbalum pulſare, quod vulgariter dicitur: *Señalera*. Quo vſque Prior, vel qui eius locum tenet, incepturus veniat. Facit etiam præfatus Portarius citationes, & notificationis literarum Beneficiatis

Capitularibus dumtaxat, ob quod recipit iura ſua, in Cōſtitutionibus contenta. Prætereà in die Cœnæ Domini, quando Epiſcopus, Prior, vel Præſes facit mandatum, idē Portarius ducit pelvim, & aquam calidam, & manutergia ad lauandum pedes pauperū, & ſedile in quo ſedeant. Omni inſuper die, quo prædicatur Verbum Dei, debet circuire Eccleſiam, & prouidere ne rumor, & ſtrepitus in ea fiat. Quæ omnia, & ſingula, vt deſcripta ſunt in præcedentibus, quamquàm aliqua illorum indeſuetudinem abierint, à dicto Portario ſtatuimus, & ordinamus inviolabiliter obſervari. Volumus nihilominus, quod quotieſcumque accidat illum fore legitimè impeditum, loco ſui poſsit, & teneatur alium idoneum ſubrogare, qui prædicta pro eo compleat. Quod ſi non fecerit, abſentia ſua Prior, vel Præſes ſubſtitutum convenientem pro eo ponat, & de redditibus dicti Portarij illi ſatisfieri faciat.

## Octuageſimum quartum Statutum.

### *DE BARBITONSORIBVS.*

AD officium Bartitonſorum pertinet omnibus de Capitulo radere Coronas, barbaſque aptare, illoſque, cum opus fuerit, flogbothomare, hoc idem faciant Infantibus Chori, omnibuſque officialibus Capituli, & familiaribus Capitularium, & hoſpitibus eorum, prouiſo in omnibus, quod Coronæ ſint amplitudinis competentis ſecundum Conſtitutionem noſtram Synodalem. Teneanturque inſuper, accuere cultellos dictorum beneficiatorum. Quod ſi omnia ſupradicta ita decenter, vt tenentur, non fecerint, denuncietur Priori, & Capitulo, & mulctentur pecunialiter in aliqua parte illius pecuniæ, quæ ſibi de Menſa Capitulari obvenerit.

## Octuageſimum quintum Statutum.

### *DE CAMPANARVM PVLSATORIBVS.*

OFficium pulſatorum Capanarum eſt, Campanas ſecundum conſuetudinem præfatæ noſtræ Eccleſiæ ad omnes Horas Canonicas, Miſſas, Proceſsiones, Anniuerſaria Defunctorum, & tempore quo nubilla apparent, vel tonitrua terrent, iuxta formam ſibi tradditam decenter pulſare. Quod ſi non fecerint, vel in modo faciendi conſueto defecerint per Priorem, vel Præſidem arbitrarie mulctentur. Item prouideant prædicti officiales, quod ſi funes pro Campanis, vel alia illis neceſſaria defecerint, Theſaurario denuncient, qui ſi convenienti tempore, non prouiderit, quam citius poterit, Priori, & Capitulo ſignificare procurent.

## Octuageſimum ſextum Statutum.

### *DE INIVRIIS, ET DAMNO DATO.*

VT compeſcatur aliquorum audacia, ſtatuimus præterea, & ordinamus, quòd nullus de dictis Beneficiatis in Dignitate conſtitutus Canonicus, ſeu Portionarius, aut dictæ noſtræ Eccleſiæ Archipresbyter, Vicarius, ſeu Capellanus in verba iniurioſa, aut contumelioſa prorumpere, aut de facto per manus iniectionem contra aliquem alium in Dignitate conſtitutum, Canonicum Portionarium, ſiue Capellanum prorumpere aliquo modo præſumant. Quod ſi tale delictum aliquis prædictorum in Choro, & Capitulo, dum Diuina celebrantur, vel Capitulariter congregati ſunt, commiſſerit, omnibus æmolumentis, & obventionibus, tam in quotidianis diſtributionibus, Anniuerſarijs, quàm in alijs, quæ de menſa

communi habere ſolet, per duodecim dies immediatè continuos ſit ipſo facto ob reuerentiam loci, in quo deliquit, priuatus. Maiori etiam pœna mulctetur pro ractione delicti, vt Capitulo viſum fuerit. Nec propter hoc intendimus, talem delinquentem releuare à pœnis per Nos, vel Prouiſorem noſtrum imponendis, ſecundum qualitatem delicti de officio, vel ad petitionem partis.

## Octuageſimum ſeptimum Statutum.

### *DE LVMINARIBVS, ET LAMPADIBVS Eccleſiæ.*

NE obliuio filia negligentiæ, mater ignorantiæ, nouerca virtutum latenter ſubrepat, & aliquos ab his, ad quæ obligantur, cum animarum ſuarum periculo, quouis quæſito colore, retrahat, viſitando noſtram præfatam Eccleſiam multa non parum convenientia, à memorijs cognouimus excidere. Ea propter effectum earũ intercipi, aliaque illorum pigrè, & deſidioſè fieri. Volentes ergo (vt tenemur) quæ per deſuetudinem abierunt, in priſtinum ſtatum decenter reſtitui, & quæ bona ratione adhuc durant, indiſolubiliter conſervari, illorum omnia, quæ ex libris antiquis, & recordatione hominum etatæ prouectorum colligere potuimus, horum noſtrorũ ſtatutorum libro inſeri mandauimus. Luminaria ergo, vel lampades Eccleſiæ, quæ nõ modicam cœremoniam, & Cultum Dei debitum afferunt, in primis ſepradictis adiungimus. Lampadi quæ eſt in Capella maiori tenetur prouidere Theſaurarius, ſicut aliàs ſcriptum eſt, in his quæ ad officium ſuum pertinent.

Eſt etiam in Capella Reſurrectionis coram Sanctiſsimo Sacramento alia, quæ dicitur Hoſpitalis, cui tenetur prouidere operarius expenſis fabricæ, vt diu, noctuque luceat, hoc quod dicitur Hoſpitalis eſt, quod ab antiquis

audiuimus fabricam Eccleſiæ habere aliquos redditus, qui antiquitus fuerint Hoſpitalis, videlicèt hæreditates de *Valcervalejo*, & domos, quas nunc habet cenſuales.

Eodem modo tertiæ lampadi, quæ in Capella Crucifixi eſt, prouideatur ab operario de redditibus fabricæ, vt diu, noctuque luceat, ad quod tenetur recuperare cenſum vndecim argentorum tributi perpetui ſuper domũ, quæ eſt in calle Fontis, quæ eſt tertia ad ſiniſtram, introeuntibus ex Platea maiori, & quatuorcentos marapetinos ſuper aliam domum in calle Noua, quæ eſt tertia ad manum dexteram, cum itur de Eccleſia. Cœterum eſt in Choro alia lampas, cui tenetur prouidere Scholaſticus, vt luceat in matutinis, & completorio (vt conſuetum eſt) quod ſi in hoc defecerit dictus Scholaſticus, per ſubtractionem diſtributionum provideatur, vt lampas luceat; hæc lampas translata eſt in Capellam Transfixionis Beatæ Mariæ.

Eſt alia in Sacrario circà thecam, ſeu armarium, & Sacrarium Reliquiarum, cui tenetur prouidere Sacerdos, ſeu Capellanus, qui cuſtodit Theſaurum, debet lucere omnibus diebus Sabbati cum noctibus ſuis, diebus Paſchalibus, & præcipuis feſtiuitatibus, feſtis etiam illorum Sanctorum, quorum Reliquiæ in dicto Sacrario continẽtur. Recipit dictus Sacerdos Capellanus Sacrarij pro expenſis, quas circà prædicta facit oblationes, quæ fiunt ad Crucem ſexta Feria Dominicæ Paſsionis, & die Sancti Petri dictæ noſtræ Eccleſiæ Patroni, & quæ fiunt ad Reliquias, diebus quibus ad Offertorium proferuntur.

Sunt aliæ lampades extraordinariæ, quibus prouidetur de eleemoſynis, & cœteris memorijs, & ſunt quæ ſequuntur.

Eſt vna in Capella Beati Petri Oxomenſis Epiſcopi lucet noctu, diuque, tenentur Sacriſtiæ eam incendere, & providetur ab operario, ex redditibus Collegarum Sancti

Pe-

Petri, quos fundauit Antonius Melendez de Gumiel huius Eccleſiæ Decanus.

Sunt etiam aliæ lampades in dicta Capella Beati Petri, quas prouidet Decanus huius Eccleſiæ ſuis expenſis.

Eſt vna alia lampas iuxta Altare Sancti Blaſij, quam nuper dotauit Petrus Sarmiento, Prior huius noſtræ Eccleſiæ, & Capellani tenentur ſuis expenſis, eam ſubſtentare, & prouidere.

Eſt alia ante Capellam Sancti Iacobi Zebedei, quam fundauit dictus Petrus Sarmiento, Prior huius noſtræ Eccleſiæ, eam tenetur ſubſtentare Sacriſta dictæ Capellæ, iſtæ duæ lampades proximè ardent ſingulis noctibus, per totum annum, dum dicuntur horæ matutinæ, vt in illarum dotatione continetur.

Eſt alia lampas in Capella Aſſumptionis Beatæ Mariæ, quæ dicitur Angelorum, quæ eſt in Clauſtro, quæ licèt quondam dotata fuit per Canonicum Alphonſum Gundiſaluum ex molendino in loco de *Vilde*, quia tamen dictum molendinum perijt, prouidetur nunc ex eleemoſynis. Quare hortamur in Domino Priorem, & Capitulum, vt dent operam, quod dicta lampas ardeat in omnibus Sabbatis, & Vigilijs Beatæ Mariæ, ob eius imaginis reuerentiam.

## Octuageſimum octavum Statutum.

### *DE PAVPERVM ELEEMOSYNA, & qualiter, & quis eam diſtribuit.*

INter cœtera laudabilia, quæ in præfata noſtra Eccleſia Deo donante reperimus, quod ſingulariter animũ noſtrum exhilarauit, fuit cura pauperum, & eleemoſyna, quæ eis in viſceribus charitatis copioſè tribuebatur. Ne ergò tam pium opus per negligentiam omitatur, vel

obli-

obliuione labatur. Sumptus, qui circa prædictos Chriſti pauperes in dicta noſtra Eccleſia communiter fieri ſolent, hoc volumine inſeri fecimus, & ſunt, qui ſequuntur. In primis ex conceſsione Prioris, & Capituli omnes panes, qui offeruntur omni die in Eccleſia, elargiuntur dictis pauperibus, præter portiones ſequentes, videlicèt, primi duo panes, & potiores dantur Vicario, qui curam animarum gerit. Sacriſtis, & Campanarum pulſatoribus dantur quatuor panes. Portario, ſeu Ianitori duo, alij duo perſonæ, quæ Eccleſiam ſcopauerit, alij duo Capellano Veſtuarj, alij duo Caniculario; deductis dictis portionibus, panes reſidui, diſtribuuntur pauperibus. Circà quorum diſpenſationem ſtatuimus, & ordinamus, quod Dignitas, ſeu Canonicus nominatus à Capitulo pro adminiſtratione eleemoſynæ in biennio ſuæ adminiſtrationis, ſingulis diebus dictos panes ſuis proprijs manibus diſtribuat pauperibus, & egenis intereſſentibus, perſonaſque benemeritas, alijs non ita qualificatis præferat, ſuper quo eius conſcientiam oneramus, diligentem etiam curam adhibeat, vt panes, qui quotidie offeruntur, fideliter colligantur, & obſerventur, quo vſque modo ſupradicto diſtribuantur. Quod ſi contingat dictum eleemoſynarium ab hoc Oppido ab eſſe, Prior, vel Præſes alium ſuo loco ſubſtituat, qui parere teneatur, idque perficere ſub pœna per Præſidem poſita.

## Octuageſimum nonum Statutum.

### *DE ELEEMOSYNA QVADRAGESIMÆ.*

COEterum Feria quinta proxima poſt diem Cinerum in Capitulo nominentur viginti pauperes, nō publicæ mendicantes, & cœteris, viduæ honeſtiores præferantur, & cuilibet eorum dantur duæ menſuræ, id eſt, mediæ tritici, ac ducenti, & quadraginta marapitini, &

in Hebdomada Sancta eiſdem, vel alijs totidem menſuræ tritici elargiuntur, quod ſi Capitulo placuerit, poterit huiuſmodi Portiones, inter plures diuidere; prædictæ octoaginta menſuræ, ſeu mediæ tritici extrahuntur de mẽſa communi; pecuniæ verò ex eadem menſa tria millia, & quingenti ac tria dipondia; mille verò ducenti viginti, & quatuor dipondia de Camera, ſeu Veſtuario Canonicorum. Recuperatio autem, & diſtributio tritici, & pecuniæ huiuſmodi ad eleemoſynarium prædictum à Capitulo nominatum in ſuo biennio pertinet.

## Nonageſimum Statutum.

### *DE ELEEMOSYNA FERIÆ QVINTÆ in Cœna Domini, quando lauantur pedes pauperum.*

QVinta demum Feria Cœnæ Domini conuocentur per Portarium duodecim pauperes, qui in Capella maiori ordinatim ſedeant per acto officio Miſſæ Maioris, quibus Epiſcopus, vel Sacerdos celebrans dictam Miſſam, Chriſti veſtigia inſectans, in peluí pedes lauet, linteoque tergat, ad quod afferendum, & parandum Portarius teneatur, vt in eius officio continetur. Præbeatque dictus Sacerdos cuilibet dictorum pauperũ, dimidium argentum de menſa communi; Epiſcopus verò celebrans illis eleemoſynam, ſibi viſam, ſuis expenſis tribuat. Omnium prædictorum laudabilis, & Deo grata conſuetudo eſt, illam approbamus, & confirmamus perpetuiſque futuris temporibus duraturam ſancimus.

## Nonageſimum primum Statutum.

### *DE OPERARIO FABRICÆ Eccleſiæ.*

PRæfectus autem dictæ fabricæ,(operarius dicitur)de quo ſtatuimus,& ordinamus,quod eligatur (vt conſuetum eſt)per Priorem,& Capitulum in Vigilia Natiuitatis Domini,& quod electionis tempore,iuret de fideliter adminiſtrando officium ſuum,cuius adminiſtratio duret per biennium tantum,nec vltra extendatur, niſi aliud aliqua iuſta cauſa ſuccedat,& quod in fine illius biennij, Prior,& Computatores Eccleſiæ,cum noſtro Vicario,vel perſona per Nos,& ſucceſſores noſtros,ad hoc deputanda,coram Notario Capituli ſumant ab eo rationem de adminiſtratis.Super quo conſcientiam eorum oneramus, dictuſque operarius tenetur ad ea,quæ ſequuntur.

In primis tenetur omnes facultates dictæ fabricæ diligenter,& fideliter adminiſtrare,vt iurauit, redditusque eius recipere,& in reparatione dictæ noſtræ Eccleſiæ, officinarumque ipſius,& in alijs,quæ in onere ſuo incumbunt,vt his noſtris ſtatutis continetur ,prudenter expendere,vſque ad ſummam quatuor millia marapetinorum, nec poſsit aliquid ,vltra dictam ſummam expendere in conſulto Capitulo. Ad illum etiam pertineat, quærere Canicularium(qui vulgariter dicitur *Perrero*), qui expellat canes de Eccleſia ,& Clauſtro , ne horridum eorum, aliquid vel immundum in eis appareat, & illi de competenti ſalario ſatisfacere.

Item faciat mundare Eccleſiam, & Clauſtrum omnibus Sabbatis,& Vigilia Natiuitatis Domini , die præcedente feſtum Circuncisſionis, Epiphaniæ,Purificationis, Reſurrectionis,Aſcenſionis Domini,Pentecoſtès, Trinitatis,Sancti Petri Oxomenſis,Aſſumptionis,& Natiuita-

tis

tis Beatæ Virginis,& Sanctorum Petri,& Pauli, & Vigiliæ Omnium Sanctorum,& omnibus alijs diebus,quibus ſibi viſum fuerit.

Eius etiam oneris ſit, renunciare Capitulo quando defecerit *Organiſta*,vt diligenter,& mature requiratur, & dimidium ſalarij à Capitulo aſsignati,vel quod Capitulum decreuerit, illi ſolvere,aliud autem dimidium Prior, & Capitulum ſolvat.

Item petere,& recipere id,quod Epiſcopus, & Beneficiati pro Capis tribuunt ſecundum conſuetudinem, & ſtatuta huius noſtræ Eccleſiæ,quando ad poſſeſsiones nouiter recipiuntur.

Item tenetur facere candelas ceræ albæ pro Beneficiatis huius Eccleſiæ: itaque Epiſcopo datur candela, ſeu facula ponderis trium librarum,cuilibet verò Dignitati, & Canonico,ac Vicario Epiſcopi vnius libræ cum dimidia,Portionarijs,& Capellanis vnius libræ,Fiſcali Epiſcopi,ac Notarijs,& Algazelo,nec non Iudicibus Sæcularibus,& Conſulibus,& Rectoribus, Scribis, & Algazelis eorum dentur candelæ parvæ,vſque ad ſummam quindecim librarum,& diſtribuantur inter populares, ad arbitrium operarij; libera tamen facultas mutandi,& alterandi circà præmiſſa,remaneat pœnes Nos, Capitulumque noſtrum.

## Nonageſimum ſecundum Statutum.

### *DE ORDINE LOCANDI DIMIDIAS-Annatas.*

INſuper ad prædictum operarium pertinet,inquirire diligenter vacationes Beneficiorum pro recuperandis Annatis,& quãdocumque poſſeſſor aliquam Annatã locare voluerit,teneatur Operarius Priorem, vel Præſidem,& Diputatos convocare,qui ſimul videant,ac plenè

intelligant per ſcripturam, quæ vulgò dicitur *Padron*, fructus beneficij locandi illius anni de quo Annata debetur, & iuxta moderationem fructuum, à Capitulo in illo anno præfixam, locationem perficiant, quæ in libro ſcribatur, ſubſcripta manu Præſidis, Diputatorum, & Secretarij; nec operarius poſsit aliter locare dictas Annatas.

## Nonageſimum tertium Statutum.

### *DE FRVCTIBVS PERCIPIENDIS in abſentia.*

CVm inter aſsiduas noſtri animi curas, illa potiſsimum vrgeamur, per quam noſtrarum Eccleſiarum vſui, atque incremento, Cathedralis præcipuè, quæ aliarum caput debet eſſe, & magiſtra, cuique maiori copulamur vinculo, debitè prouideatur. Intuentes in eadem Eccleſia nonnullas conſuetudines, immo potiùs corruptelas eſſe, quæ Clericis vagandi materiam, ac Diuino Cultui detrimentum afferunt, cum prætextu earum nulla ex legitima cauſa abſentibus, de ipſius menſæ Capitularis redditibus, necnon cœteris ipſius Eccleſiæ emolumentis, tanquam præſentibus certa portio tribuatur; quod neque iuri conſonat, nec rationi, præſertim in dicta noſtra Eccleſia, vbi tanta eſt paucitas Beneficiatorum, Nos igitur paterna ducti affectione quantùm à ſuperna gratia nobis conceditur, huiuſmodi conſuetudines funditus extirpare, volentes. Statuimus, & ordinamus quatenus quibuſcumque Cõſuetudinibus, Conſtitutionibus, ac Statutis in contrarium habitis, non obſtantibus de cœtero, nulli ex Beneficiatis, Canonicis, ſeu in Dignitate conſtitutis dictæ noſtræ Eccleſiæ de fructibus, nec redditibus, prouentibus, obventionibus, ſeu quibuſvis alijs, quocumque nomine cenſeantur, emolumentis, præterquam præſentibus, aliquid tribuatur, excepto pane, qui dicitur coctus;

atque etiam abſentibus prætextu priuilegij, quoniam noſtræ intentionis nō eſt, talibus in toto derogare, tribuatur (vt moris eſt) panis qui dicitur coctus, de cœteris autem, abſque quotidiannis diſtributionibus, medietas tantum tribuatur eorum, quæ reciperent, ſi perſonaliter reſiderent, dum tamen tali priuilegio gaudentes à feſto Omnium Sanctorum, vſque ad Natiuitatem Domini incluſiuè, ſua priuilegia, cum fide de Mora tracta, Priori, ac Capitulo dictæ noſtræ Eccleſiæ in quolibet anno per ſe, vel per ſuum Procuratorem, veniant oſtenſuri, quam quidem oſtenſionem facere omittentibus (vt prædictum eſt) nihil de ſupradictis tribuatur, pro illo anno. Noſtris etiā, ac noſtrorum ſucceſſorum familiaribus continuijs cōmenſalibus in ſervitio noſtro occupatis: Decernimus omnes redditus, ac emolumenta quocumque nomine cenſeantur, quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis, tanquam præſentibus elargiri. Cœterum Canonicis, atque in Dignitate conſtitutis, ratione priuilegij, vt dictum eſt, de redditibus, quos de Camera pro Veſtuario conſueuerunt recipere, nihil tribuatur, præterquam reſidentibus, & intereſſentibus ad minus, per quatuor menſes continuos, vel interpolatos omni anno perſonaliter. Vocamus autē quotidianas diſtributiones eas, quæ intereſſentibus, ſingulis horis, ſunt aſsignatæ, iuxta formam ſuperius per ſcriptam; Menſam verò communem, & Cameram non intendimus computari inter dictas diſtributiones, quæ ſingulis horis reſpondent, licèt Menſa communis reſpondeat vni horæ quotidie.

# Nonageſimum quartum Statutum.

## *DE HIS QVI MOLESTANTVR in Præbendis.*

QVoniam Chriſtiana charitas non ſolum cogit aliena reddere,ſed ex proprijs bonis iniuriam patientibus ſubvenire. Cumque ſæpè contingat, alienarum rerum cupidos,litibus,& alijs moleſtijs vexare eos,qui aliquandoDignitates,Canonicatus,& alia beneficia Eccleſiaſtica iuſto obtinent titulo, & nonnunquam illi qui poſsident prædicta Beneficia, ſua iura aut ex inopia,aut carceribus detenti,vt propter magnatum, oppreſsiones,& violentias defendere non valent, & ſuas lites,vt expedit,proſequi:ne auxilij, & ſubventionis defectu,actiones ſuas amittant,pio ac fraterno ducti amore,vt qui prædictas paſsi fuerint iniurias,commodius eas pro pulſare poſsint, & ab huiuſmodi inquietationibus, ſe tueri,ſtatuimus,& ordinamus ( morem in hac noſtra Eccleſia diu obſervatum approbantes),quod Beneficiati, qui beneficia, in eadem ſita,per biennium pacificè poſſederint,ſi ab aliquo citati,aut inquietati fuerint, ſuper Beneficium,vel Præbendam,quam poſsident, vel aliquod ius illius,ſi propter aliqua ex ſupradictis,non poſsit in hac noſtra Eccleſia reſidere,præſtito iure iurando in Capitulo in manibus Præſidis,quod non ſua fraude, lis mota eſt,neque ex induſtria,aut diſcedendi cauſa id procurauit,& inſuper quod prædictam litem finiet, per ſententententiam Iudicis,aut alia licita pactione,quam citius poterit,& pro viribus conabitur,ſumma breuitate ad Eccleſiam redire,interimque dum abſens fuerit, ſiue in Curia Romana,ſiue Regia,vel alibi negotia Eccleſiæ, & Capituli ſibi demandata, pro viribus tuebitur, ac ſi propria eſſent, nulla ſoluta mercede, huiuſmodi Beneficiatus

diſ-

diſcedat, habeaturque pro præſenti ( ſupportatis tamen oneribus Beneficij ſui ) ac ſi adeſſet omnibus horis, etiam matutinis, dum tamen in dictis matutinis, per maiorem partem illius anni, vel proximè præteriti, reſederit, exceptis illis manualibus, Anniuerſarijs, & alijs diſtributionibus, quæ ſolent tantum intereſſentibus conferri, niſi aliter faciendum ſit ratione literarũ Apoſtolicarum, vel motus proprij Romani Pontificis; vt verò, omnis doli occaſio tollatur, ſtatuimus, quod talis Beneficiatus, ſic abſens ſingulis annis fidem faciat Capitulo, per Notarium litis, nondum eſſe ſinitam litem, eamque ſua negligentia non differri.

## Nonageſimum quintum Statutum.

### *DE SOLVENDO DEBITIS PROVEnientibus ex adminiſtrationibus.*

CVm antiqua conſuetudo huius noſtræ Eccleſiæ obtineat, vt in quolibet biennio in Vigilia Natiuitatis Domini, Capitulum nominet, Operarium pro regimine Fabricæ: adminiſtratorẽ, ſeu Æconomum Hoſpitalis noſtri Oppidi Burgi, & Arcæ miſericordiæ, & Eleemoſynæ, qui biennio per acto tenentur rationem ſuarum adminiſtrationum reddere nobis, vel Vicario noſtro, ſimul cum Præſide, ac Diputatis à Capitulo: præcipimus vt id ſemper obſervetur, adijcientes, quod finitis rationibus ſi debitum aliquod remanſerit contra Adminiſtratores huiuſmodi, id teneantur per ſolvere Capitulo intra triginta dies computandos à die, qua rationem ſuæ adminiſtrationis finierint, alioquim mulctentur irremiſsibiliter omnibus horis, donec perſolverint. Et quod prædictis Adminiſtratoribus nihil comodi pro labore confertur, iniungimus Capitulo, vt & in illorum nominatione, ita ſe habeat; quod onera inter omnes æqualiter diuidantur, taliter quòd nullus grauetur.

## Nonageſimum ſextum Statutum.

### *DE MISSIS DICENDIS PRO CAPITVLA-ribus Defunctis.*

PRædeceſſores noſtri, fraterna ducti charitate, pie ſtatuerunt, vt quoties Epiſcopus extremum clauſerit diem, quilibet ex capitularibus quatuor Miſſas pro ipſius anima teneatur per ſe, vel per alium celebrare, & pro Combeneficiato Capitulari tres cum Reſponſorio, ſuper defuncti ſepulturam; quod quidem laudabile decretum approbantes, præcipimus, vt de inceps, per petuis futuris temporibus inviolabiliter obſervetur: Priorque, vel Præſes teneatur Capitulum hortari, vt id intra triginta dies à morte defuncti computandos quilibet adimpleat.

## Nonageſimum ſeptimum Statutum.

### *DE MVLIS CAPITVLARIVM.*

QVamuis plerumque expediat Capitulares, mulas domi retinere: vt honeſtius, cum opus fuerit, vel Epiſcopum, vel Illuſtres perſonas committetur: Nolumus tamen eos præcepto aſtringi, vt mulas domi alere cogantur, ſed hoc eorum conſcientiæ, & prudentiæ relinquimus decernendum, vt quiſque id efficiat, quod viderit, & ſuis rebus tempori, & loco in quo poſitus eſt magis congruere.

# Nonageſimum octavum Statutum.

## *DE SIGILLO SECRETI CAPITVLI ſervando.*

EX ſacris literis,& experientia comperimus, quanti referat in negotijs arduis peragendis, ſecreta iniuncta ſervare, inquit enim ſapiens: qui ambulat fraudulenter, reuelat archana, qui autem fidelis eſt, cœlat amici commiſſum. Nulla enim reſpublica, rectè gubernari poteſt, vbi deeſt ſecretum. Quapropter tanto incommodo, obviare, cupientes, ſtatuimus, vt quoties à Præſide ſecretum Capituli fuerit iniunctum, nullus illud reuelet, aut quouiſmodo pandat. Quod ſi ſecus fecerit, mulctetur pœna vſque ad decem aureorum fabricæ huius Eccleſiæ applicandorum, priueturque, vſque duos menſes voto, taliter quod inter cœteros Capitulares nullatenus admittatur; & vt id melius exequi poſsit, comittimus vices noſtras duobus Capitularibus à Capitulo nominandis, in quolibet negotio, vt inquirant in ſcriptis, & renuntient nobis, dummodo non ſit negotium inter Prælatum, & Capitulum, quod tunc non tenentur, renuntiare Prælato. Teneatur inſuper in foro conſcientiæ, ſolvere fabricæ noſtræ Eccleſiæ omnes, & ſingulos fructus per octo dies ſibi pro rata obvenientes, tam ex Menſa communi, quàm ex Camera, & diſtributionibus quotidianis.

No-

# Nonageſimum nonum Statutum.

## *DE ALTERNATIVA CANONICATVVM inter Epiſcopum, & Capitulum.*

INter ſtatuta antiqua noſtræ Eccleſiæ reperimus quodam ſtatutum, à Reuerendiſsimo Petro de Montoya prædeceſſore noſtro æditum, cuius tenor talis eſt. PETRVS Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Eccleſiæ Oxomenſis, Venerabilibus, & dilectis Fratribus noſtris Priori, & Capitulo præfatæ noſtræ Eccleſiæ, Salutẽ, & pacem in Domino ſempiternam. Iuſtitiæ æquitatique congruit, & Prælatorum honeſtatem, plurimum decet, laudabiles conſuetudines ſuarum Eccleſiarum, non infringere, ſed potiùs eas obſervare, & à ſubditis ſuis facere inviolabiliter obſervari. Sanè (ſicut accepimus), & ſufficienter informati ſumus. Quod inter cœteras conſuetudines præfatæ noſtræ Eccleſiæ, memoratu dignas, hæc exiſtat, quod Creatio, Nominatio, Electio, Prouiſio cuiuſcumque Dignitatis officij, ſeu adminiſtrationis ad Nos, & ad Succeſſores noſtros præcisè, & ſolummodo pertineat: Et Creatio, Nominatio, Electio, vel Prouiſio, quouis nomine propriùs de iure appellari poteſt, Canonicorum prædictæ noſtræ Eccleſiæ, quæ regularis exiſtit, ad Nos, & Vos communiter pertineat, hoc ordine obſervato, quòd prima vice, primo Canonico per Nos creato, Vos teneamini conſentire. Secunda vice, ſecundo Canonico per vos nominato, electo, vel præſentato, Epiſcopus conſentire teneatur. Nos memoratam conſuetudinem, tanquam iuri conſonam, & prædictæ noſtræ Eccleſiæ vtilitati nimium expedientem approbamus, confirmamus, & noſtris temporibus, & ſucceſſorum noſtrorum inviolatam perſeuerare, & cuſtodiri volumus. In cuius rei teſtimonium has noſtras præſentes literas, nomine noſtro

roboratas,ac ſigilli noſtri Pontificalis appenſione munitas,vobis traddendas,& Theſauro præfatæ noſtræ Eccleſiæ cuſtodiendas mandauimus. Datis, & actis in Burgo noſtro Oxomenſi, & in Palatio noſtro Epiſcopali,prima die Nouembris anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio.

Quod quidem ſtatutum præcipimus, & mandamus, quod inviolabiliter obſervetur.Ita quod prædicti Canonicatus noſtræ Eccleſiæ,cum vacauerint,per Prælatum, & Capitulum alternatiuè prouideantur.

## Centeſimum Statutum.

### *DE SOLVENDA LEGITIMA ECCLESIÆ, & de fructibus percipiendis poſt mortem.*

INter cœtera, quæ in hac noſtra Oxomenſi Eccleſia, ſtatuta firmata,& longo tempore obſervata cognouimus,hoc vnum erat,quod Dignitates, & Canonici morientes,eo quod regulares ordinis Beati Auguſtini erant teſtamentum minimè condere poterant,ſed Eccleſia, vti legitima hæres in illorum bonis ſuccedebat;at verò experientia docente,compertum fuit,grauia,& intollerabilia incommoda inde oriri.Quarè bonæ memoriæ Reuerédiſsimus Petrus de Montoya prædeceſſor noſter, his incommodis obviare cupiens,ſtatuit, vt de inceps prædicti Capitulares liberam haberent teſtandi facultatem,dummodo eo ipſo,quod ad poſſeſsionem reciperentur, certam florenorum ſummam communiter *Legitimam* nuncupatam,inferiùs explicandam,fabricæ Eccleſiæ perſoluerent, quod quidem ſtatutum Sanctiſsimus in Chriſto Pater Summus Pontifex Eugenius Quartus fœlicis recordationis auctoritatæ Apoſtolica confirmauit,vt in ſuis confirmationis literis continetur.Sub dat Vt au-

tem hac etiam in re, cœteros, vt decet, exemplo noſtro excitemus; Volumus Nos obſtringere ad perſolvendos Eccleſiæ noſtræ Oxomenſi mille aureos cum ab ea diſcedere in perpetuum, vllo modo contigerit, deducto priùs ære alieno.

Et vt prædicta fabrica faciliùs, & certiùs memoratam *Legitimam* perciperet. Idem Petrus cum Capitulo ſtatuit, quod nouiter receptus ad Dignitatem, vel Canonicatũ, in hac noſtra Eccleſia teneretur, dare ſufficientem cautionem, putà pignoratitiam, vel fideiuſſoriam ad arbitrium Epiſcopi, vel in eius abſentia ſui Officialis, necnon Prioris, & Capituli ad ſolvendum dictam *Legitimam*. Inſuper ſtatuerunt, quod Dignitas, vel Canonicus, ſi per annum ſuam Præbendam pacificè poſſediſſet, & illam morte, reſignatione, ſeu quavis alia cauſa dimitteret, acquireret medietatem fructuum Menſæ communis, & Cameræ ac panis cocti, demptis diſtributionibus quotidianis, & Anniuerſarijs. Dignitates verò, præter ſupradicta, tertiã partem annexorum perciperent (vt in dictis ſtatutis ſuper his confectis expræſsè continetur). Quæ quidem ſtatuta, vt iuſta, laudabilia, & in fauorem, & commodum noſtræ Eccleſiæ confecta, ac longo tempore obſervata, approbamus; pro maiori illorum firmitate adijcientes; Quod recipiendus ad poſſeſsionem Dignitatis, vel Canonicatus, ſi per ſe ipſum ad eam acceſſerit, intra octo dies poſt adeptam poſſeſsionem computandos, ſufficientem cautionem præſtare teneatur de ſolvenda *Legitima*, & alijs iuribus fabricæ, alioquim amittat omnes, & ſingulos fructus ſuæ Præbendæ, & pro abſenti habeatur, quovſque prædictam cautionem præſtet; Si autem per Procuratorem eandem poſſeſsionem petierit, nullatenus illi conferatur, niſi priùs dictam cautionem præſtiterit. Sed quantum attinet ad perceptionem fructuum dimidij anni declaramus, quod Beneficiatus defunctus reſignans, vel Præbendam dimittens, ex quacumque cauſa, incipiat

fruc-

fructus acquirere,à die quo ſucceſſor reſidentiam cœperit,& eam perfecerit,quod ſi reſidentiam ceptam morte præuentus,non compleuerit,recipiat pro rata,iuxta limitationem ſtatuti de fructibus percipiendis poſt mortem. Prætereà,vt dicta noſtra Eccleſia in perceptione Legitimæ,& aliorum iurium,nullatenus poſsit fraudari, ſtatutis,& conſuetudinibus antiquis inhærendo, volumus, & ordinamus:quod dicti fructus dimidij anni ſint ſpeciali hypotheca obligati ad ſolvendam dictam Legitimam,& alia iura fabricæ debita,& hac lege,& conditione concedimus ius percipiendi prædictam medietatem fructuũ. Itaque nulla obligatio,nullum debitum,nulla actio,etiam funeraria(tamet ſi antiquior ſit)Eccleſiæ iuri præferatur. Quod ſi aliquis aliud tentauerit, eo ipſo amittat ius, & actionem illorum fructuum, quæ ob medietatem anni, prædicto Beneficiato,& hæredibus,ſiue creditoribus obvenire poterant; nihilominus Operario fabricæ plenam concedimus facultatem, vt ſua auctoritate poſsit prædictos fructus,redditus,& obventiones dimidij anni recuperare,& alia facere,quæ ſibi videbuntur vtilia iuri dictæ fabricæ,cui cum fuerit ſatisfactum de ſua legitima,& alijs iuribus,reſiduum pro hæredibus talis Beneficiati remaneat.Quod ſi Beneficiatus moriens, vel ex quacumque cauſa Præbendam dimittens,aut amittens (vt prædictum eſt)habuerit bona; teneatur ſtatim legitimam huiuſmodi,& dicta iura fabricæ perſolvere, non expectatis fructibus dimidij anni. Sed ſi talis Beneficiatus Præbendam ſuam per annum pacificè poſſederit,fideiuſſores ſui ſint liberi,cum iam fabrica habeat eo ipſo hypothecam realem,ſcilicèt fructus dimidij anni vnde iura ſua percipere poſsit.

## Centeſimum primum Statutum.

*SEQVVNTVR IVRA FABRICÆ pro legitima.*

PRior ratione Dignitatis,& Canonicatus annexi, tenetur ſolvere fabricæ, pro legitima centum,& ſeptuaginta florenos Aragoniæ,valoris ducentorum ſexaginta quinque marapetinorum, pro quolibet floreno. Archidiaconus Oxomenſis,centum , & quinquaginta. Archidiaconus Sorienſis,ducentos.Archidiaconus Accenſis, centum,& ſeptuaginta.Cantor,centum. Theſaurarius, centum,& quinquaginta.Scholaſticus , centum. Abbas Sancti Bartholomæi,ſeptuaginta quinque.Decanus , triginta ſeptem cum dimidio. Abbas SanctæCrucis,triginta ſeptem cum dimidio. Subprior ratione officij viginti quinque,& inſuper ratione Canonicatus , vt cœteri Canonici. Quilibet autem Canonicus , qui Præbendam habet dimidiam,triginta ſeptem cum dimidio. Si verò integram,ſeptuaginta ſoluit.

## Centeſimum ſecundm Statutum.

*PRO CAPPIS SERICIS REFICIENDIS.*

PRior ſolvit pro Capis ſericis reficiendis , decem, & ſex aureos , ratione Dignitatis , & Canonicatus annexi. Quælibet alia Dignitas, ex antiquis quatuor millia dipondia per ſolvit. Abbas verò Sancti Bartholomæi, Decanus , Abbas Sanctæ Crucis , & quilibet aliorum Canonicorum ; ſolvit duo millia dipondia. Prætereà ſi Dignitas, aut Canonicus, ſepultus fuerit in hac noſtra Eccleſia,teneatur dare tapetum bonum,quod vulgò vocatur *Albombra* : & inſuper tenetur quilibet

illorum legatum pro ſuo arbitrio fabricæ relinquere.

## Centeſimum tertium Statutum.

### *DE CVRA INFIRMORVM.*

SI Viris Eccleſiaſticis, infirmorum Cura à Domino commiſſa eſt, vt ex hac vita Sacramentis præſertim Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ refecti, ad hæreditatem nobis promiſſam alacres migrare poſsint; dubium non eſt, eãdem curam in eiuſdem ordinis homines, qui nobiſcum artiori charitatis vinculo, & amicitiæ coniunguntur, accuratius conferendam eſſe. Quam ob rem, volumus, ac præcipimus, vt ad Nos, vel Succeſſores noſtros graui ægritudine laborantes duo aut plures ex Capitulo vocati accedant, vt illis præſto ſint in omnibus, quæ pertinent ad perferendas ægritudinis moleſtias, & ad ſpiritualium, quæ in hoc diſcrimine poſitis accomodata ſunt, recordationem.

Cum verò Sacra Euchariſtia ad Nos, & Succeſſores noſtros deferenda fuerit, omnes Beneficiati huius noſtræ almæ Eccleſiæ veſtibus tempori, & Choro congruentibus induti adiuncto omni Clero, cereis facibus accenſis, & candelis, Sacram Euchariſtiam comittentur, eamque deferat maior Dignitas; & Dignitatibus omnibus abſentibus, antiquior Canonicus Pluuiale auro ſericum indutus, præcedente Cruce media inter Ceroferarios. Sint verò ſaltem duodecim Capitulares, qui miniſtrent Presbytero deferenti Sacram Euchariſtiam, & abſentibus Capitularibus, idem numerus compleatur ex Portionarijs, & ijs abſentibus, ex Capellanis. Si quis verò à Præſide Capituli vocatus venire renuerit, priuetur diſtributionibus trium dierum, quæ ſibi debentur ex acquiſitis.

Similiter grauiter ægrotanti Capituli, & in diſcrimine vitæ conſtituto, duo à Capitulo electi, ad hoc onus per-

fe-

ferendum idonei aſsiſtant, quorum exortatione, ſtatim ægrotus ſalutaribus Sacramentis reficiatur, teſtamentum conficiat, vt decet Virum Eccleſiaſticum. Poſsint etiam ijdem ſi neceſſe fuerit ex bonis MenſæCapitularis ægrotanti ſubvenire. Quæ verò contulerint, ea ſi ægrotus convaluerit ex bonis eiuſdem Menſæ ad eum pertinentibus perſolvat: ſi deceſſerit ex bonis, quæ poſt mortem dimidio anno conſequenti eidem accreſcunt, primò accipiantur, poſt habitis cœteris omnibus debitis. Cum verò expedierit ægroto Sacram Euchariſtiam miniſtrare ijdem duo Capitulares Præſidem Capituli admonebunt, vt vocatis omnibus Capitularibus curet deferendam Euchariſtiam hoc modo: Capitulares omnes cereis facibus accēſis ab Eccleſia diſcedentem, & redeuntem Euchariſtiam comittentur, & in reditu Litaniam pro ægroto decantent adiunctis orationibus congruentibus. Cum autem Euchariſtia in proprio ſacello reponitur, aliquis ex Capitularibus decantet duas Orationes, vnam de Sanctiſsima Euchariſtia, alteram pro infirmo, præcedentibus Verſiculis, & Reſponſorijs, quæ Infantes decantent.

Deinceps ijdem Capitulares, aſsiſtant ægroto in omnibus, quæ vel corpori, vel animæ viderint expedire: & ſi ægritudo longius perſeueret, quàm vt illi laborem perferre poſsint, ſufficiantur alij duo ex præcepto Præſidis Capituli, ſi temporis breuitate conſtrictus, Capitulum congregare non poſsit. Quod ſi imminente vitæ periculo, Sacra Vnctio ſit adminiſtranda, interdiu, vel ante Matutinum eius dieiCompletum, Capitulares quatuor, quos Capitulum, vel Præſes Capituli elegerit, Sacram Vnctionem comittentur: eademque ritè adminiſtrata Capitulares ægroto aſsiſtentes ſanctis exhortationibus conſilijs, lectionibus præſertim Paſsionis Chriſti, & Iob, cantici Ezechiæ, depræcationibus congruentibus, huic periculo, ægrotum ad beatitudinis conſequendæ firmam ſpem, excitare conentur. Pro defuncto Capitulari, & in teſtato

Ca-

Capitulum,ſacrificia,ſuffragia, ſolemnes exequias, quæ in more ſunt perſolvat: præſentibus Clericis, & alijs Miniſtris conſuetæ diſtributiones diuidantur ex bonis defuncti,vel ex ijs,quæ poſt mortem,dimidio anno conſequenti,ipſi accreſcunt. Nouem autem diebus conſequentibus mortem Prælati,velCapitularis,Reſponſoria ſuper ſepulchrum decantentur, pro Prælato quidem ab omni Clero,& Præſide Capituli orationem cantante: pro Capitulari autem, vel Dignitatem habens, vel Canonicus reſpectiuè, pro Dignitatem habenti, vel Canonico defuncto,decantet: alioquim qui ad orationemDominicam Reſponſorij abſensfuerit, priuetur diſtributionibus horarum vnius diei. Denique eiſdem nouem diebus,ſinguli ex Capitulo,& Clero ſi Sacerdotes ſint, quatuor Miſſas pro Prælato,tres pro Capitulari offerant,vel ſi Sacerdotes non ſint,offerri curent,Prælatus tres pro ſingulis. Horum omnium cura ſit pœnes Præſidem Capituli,vt qui negligens fuerit in his adimplendis, priuetur diſtributionibus quatuor dierum. Eandem rationem in omnibus obſeruari volumus à Portionarijs,& Capellanis reſpectiuè inter ipſos.

## Centeſimum quartum Statutum.

### *DE ORDINE VISITANDI DOMVM Beneficiati, eamque tradendi ſucceſſori.*

PRæterea ſtatuimus, quòd quandocumque Beneficiatus Capitularis habens domum annexam ſuæ Præbendæ vita functus fuerit, vel Præbendam dimiſſerit, infra octo dies Prior,& Viſitatores domorum, coram Notario Capituli, teneantur dictam domum viſitare, qui attente inſpiciant qualitatem, & damna talis domus. Quæ omnia à prædicto Notario ſcribantur, & Capitulo

re-

referantur, vt ad eius arbitrium ex bonis dicti Beneficiati reficiantur damna. Cum primum verò ſucceſſor talis Beneficiati adeptus fuerit poſſeſsionem ſuæ Præbendæ, dictus Prior, & Viſitatores teneantur intra octo dies prædictam domum iam refectam, ſeu reficiendam coram dicto Notario illi traddere, qui teneatur eam conſervare, quemadmodum illi fuerit traddita.

## Centeſimum quintum Statutum.

### *QVALITER DISTRIBVANTVR TRITICVM, & panes, qui offeruntur diebus Omnium Sanctorum, Defunctorum, & in Officijs ſolemnibus.*

ETſi panis coctus, & vinum, quæ per totum annum, offeruntur inter pauperes, & officiales diſtribuantur, tamen totum id quod offertur in feſto Omnium Sanctorum, & in ſequenti Defunctorum die, hactenus inter Capitulares, Portionarios, & Capellanos diuidi conſuetum erat. Nihilominus tamen ſtatuimus, & ordinamus, quòd de inceps pars illa, quæ inter præfatos Capitulares diſtribuenda erat, pauperibus tribuatur, eritque diuiſio in hunc modum facienda. Ex pane cocto extrahatur quarta pars, quæ iterum eſt diuidenda in tres partes, quorum duæ dantur pauperibus, reliqua verò officialibus, id eſt, eis quibus quotidie ex arca panes tribuebantur, & inſuper Infantibus Chori, qui omnes pro tribus officialibus reputantur. Tres verò partes reſiduæ, diuidantur in decem partes, quarum duæ tribuantur Portionarijs, & duæ Capellanis. Sex verò partes reſiduæ, quæ hactenus ad Capitulum pertinebant, diuidantur in quatuor partes, quarum vnam recipiat Parochus, ſimul cum alijs partibus, quæ ei, vt Capellanus, & Officialis, pertinebant, aliam recipiant dicti Infantes Chori, ſimul cum Portione de qua ſupra,

aliæ verò duæ partes,ſimul cum alijs duabus ſupradictis, tribuātur pauperibus. Sed ex tritico antequam diuidatur, extrahantur duæ dimidiæ fanecæ,& tribuantur Capellano Theſauri pro oblatione panis,& ceræ , quæ antea fiebat in feſto Sancti Blaſij. Inter Capitulares verò,quælibet Dignitas ex antiquis ſcilicèt Prior , tres Archidiaconi, Cantor,Theſaurarius, & Scholaſticus recipiunt tres partes , quilibet verò Canonicus duas , Abbas verò Sanctæ Crucis recipit in his,vt vna Dignitas ex antiquis, ſed Abbas Sancti Bartholomæi,& Decanus recipiunt, vt Canonici; Prior verò recipit,vt Dignitas , & Canonicus quinque partes : Vinum verò quando eſt parvæ quantitatis, diuiditur inter Sacriſtas , & Campanarum pulſatores æqualiter. Cœterum in officijs ſolemnibus Defunctorū, quando offeruntur triticum,arietes,& vinum in amphoris,ſeu vtribus,omnia hæc(dempto pane cocto , qui diuiditur inter pauperes , & officiales ) diuiduntur in decem partes,quarum duas recipiunt omnes Portionarij,reliquas duas recipiunt omnes Capellani; Sex verò reſiduæ remanent Capitulo , & diuiduntur inter Capitulares , admodum diſtributionum quotidianarum , tribuendo vnicuique eam partem,quam de tritico hoc eodem capite dictum eſt recipere.

## *FORMA IVRAMENTI EPISCOPI.*

EGo N. Epiſcopus Oxomienſis iuro ad Sancta Dei Evangelia ab hac hora de inceps me obſervaturum Statuta , Conſtitutiones,vſus, & conſuetudines laudabiles,ac longa interpretatione à meis prædeceſſoribus hactenus approbatas,& obſervatas huius noſtræ Eccleſiæ,& præcipuè hæc quæ ſequuntur.

In primis Prior , & Capitulum huius noſtræ Eccleſiæ ſunt exempti,& immunes ab hoſpitum receptione, nec ad id poſſunt inviti,per Nos cogi.

Inſuper præfati Prior, & Capitulum eorumque familiares pecora ſua, armenta, & greges libere paſcere, & potare poſſunt, ligna cedere, venari, & piſcari in ſyluis, nemoribus, montibus, & fluuijs Villarum, ſeu Oppidorum Burgi Oxomenſis, *Gomara, Cabrejas del Pinar, Muriel de la Fuente, Vililla*, & *Vzero*, eorumque confinium oppidulorum, & terminorum, quæ vulgariter appellantur *de la Vaſſallia*. Circà piſcationem tamen fluuij dicti Oppidi *de Vzero*, hoc ſervato moderamine; quod quilibet Beneficiatus Capitularis poteſt per ſe ipſum vnico tantum aſſotiatus comitte, qui familiaris eius ſit, vel piſcator conductitius, ſolo arudinis inſtrumento quoties libuerit piſcari, itaquod præsẽteBeneficiato ipſo, & aliqua ex cauſa non piſcante, poſsit alium famulum eius loco ſubrogare, ita vt tantum duo, & non plures piſcentur. Si autem Capitularis ad fluuium perſonaliter non acceſſerit, vnum dumtaxat ex familiaribus ſuis, non tamen de conductitijs piſcatoribus, mittere poteſt, qui in dicto flumine arũdine poſsit piſcari. Modo is famulus non admittatur in domum Capitularis, vt in piſcando tantum deſerviat, quod ſi de hoc dubitetur, herus coram Deo, & in conſcientia illud declaret.

Item poſſunt libere vendere frumenta ſua, & ea extrahere ex locis vbi conſiſtant, neque ad hoc poſſunt aliqua ratione impediri, Sola neceſsitate communi, & publica huius noſtri Oppidi Burgi, vel huius noſtræ Eccleſiæ excepta.

Item poſſunt ex quibuſcumque locis portare vina quolibet anni tempore, vt domibus ſuis ſuorumque familiarium prouideant.

Item quod nec tributa, nec ſubſidia etiam charitatiua, ſubventiones, aut procurationes ratione viſitationis, nec alia onera quacumque ex cauſa poſſunt ab eis exigi, etiã ſi Clero huius Diœceſis imponantur.

Item poſſunt libere eggredi ab Eccleſia pro ſuis admi-

niſtrationibus,& negotijs gerendis,licentiaDomini Epiſcopi,aut eius Vicarij minimè requiſita.

Item ex conſuetudine approbata, & præſcripta poſſunt adminiſtrare diſponere, & diſtribuere pro libito omnes redditus tam ad ſuam Capitularem Menſam, & Cameram Canonicorum, quam priuatim ad Annexa Dignitatum reſpectiuè pertinentes. Nec Dominus Epiſcopus aut eius Vicarius poſſunt per ſe, vel inter poſitas perſonas dictos redditus ſequeſtrare, aut fideli cuſtodia, vel depoſito comittere, cauſis debiti, aut delicti ſolum exceptis.

Item ex prædicta laudabili,& præſcripta conſuetudine dicti Prior,& Capitulum poſſunt, & debent alternatim cum dicto Domino Epiſcopo prouidere Canonicatus,Portiones,& quaſdam Capellanias, vacantes in dicta noſtra Eccleſia Oxomenſi,vt in Statutis eiuſdem plenius continetur.

Ita tamẽ quod in prouiſionibus ad dictum Capitulum ſpectantibus dictus Dominus Epiſcopus, nec eius Vicarius poſsint ſuffragia ab ipſis Capitularibus, quo quomodo petere,ſeu rogare.

Quæ omnia,& ſingula me fideliter, & inviolabiliter obſervaturum,& vt meiOfficiales obſervent curaturum, ego idem N.Epiſcopus promitto, & ſolemniter iuro,ſic me Deus ad iubet,& hæc Sancta Dei Euangelia.

## *FORMA IVRAMENTI PRO CAPITVlaribus.*

EGo N. iuro ad Sancta Dei Euangelia,quod ab hac hora in antea fidelis,& obediens ero Reuerendiſsimo Domino N.Epiſcopo Oxomenſi, ſuiſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus, Eccleſiæque ſuæ,ac Priori, & Capitulo Oxomenſi. Statuta, Conſtitutiones vſus,& cõſuetudines laudabiles,ac longa interpretatione obſervatas hactenus,& approbatas ipſius Eccleſiæ, præcipuè ſta-

tutum editum per Reuerenſsimum Dominum Epiſcopum Petrum Dacoſta, ſimul cum ſuo Capitulo de generis puritate, & nobilitate Apoſtolica auctoritate confirmatum, & aliud ſtatutum de faciendo annuatim fidem de Mora Tracta à die feſtiuitatis Omnium Sanctorum, vſque in diem Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti incluſiuè, pro lucrandis fructibus in abſentia, & non poſt. Si ex quacumque cauſa ſtudij, vel aliàs me abſentari contingat prætextu priuilegij, indulti, aut aliàs, vt præuilegiatũ, vel familiarem Papæ, Cardinalis, Archiepiſcopi, aut dicti Domini Epiſcopi, vel ſucceſſorum ſuorum, Regis, vel Reginæ, aut alterius Domini ratione ſtudij generalis, aut quauis alia de cauſa; & de non petendo annuatim vltra medietatem fructuum cum pane cocto, & vino, vt in ſtatuto per Reuerendiſsimum Patrem Dominum Petrum Epiſcopum facto continetur. Contra Eccleſiam præfatã Oxomenſem, eiuſque iura, necnon contra dictos Dominos Epiſcopum, Priorem, & Capitulum publicè, vel occulte ſcienter non me opponam, eiſque ſimul, vel diſiunctim fidele conſilium dabo. Iuramenta, & ſecreta per eos, ſeu ipſorum alterum mihi iniuncta, nulli pandam. Vtilitatem commodum, & honorem in quantum potero eiuſdem Eccleſiæ procurabo. Sic Deus me adiuuet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

## *FORMA IVRAMENTI PRO PORTIONARIJS.*

EGo N. Portionarius huius Eccleſiæ Oxomenſis iuro ad Sancta Dei Euangelia, quod ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Reuerendiſsimo Domino N. Epiſcopo Oxomenſi, ſuiſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus, Eccleſiæque ſuæ, ac Priori, & Capitulo Oxomenſi; contra Eccleſiam præfatam Oxomenſem, eiuſque iura, nec non contra præfatos Dominos Epiſcopum, Priorem, & Capitulum publicè, vel occulte ſcienter

non

non me opponam. Iuramenta, & ſecreta per eos, ſeu ipſorum alterum mihi iniuncta, nulli pandam; vtilitatem, commodum, & honorem eiuſdem Eccleſiæ, in quantū potero procurabo. Statuta, conſtitutiones, vſus, & conſuetudines laudabiles, ac longa interpretatione obſervatas hactenus, & approbatas ipſius Eccleſiæ, præcipuè inſtrumentum erectionis, & creationis octo Portionum à bonæ memoriæ Reuerendiſsimo Domino Epiſcopo Alphonſo Enriquez, ſimul cum ſuo Capitulo editum, & aliud ſtatutum ab eiſdem etiam editum, præfatum inſtrumentum erectionis Portionum interpretās, & alia quæ officium Portionariorum concernunt ſtatuta, quæ mihi lecta, & publicata fuerunt, & vt in ſtatutis huius Eccleſiæ continetur, fideliter, & inviolabiliter obſervaturum promitto, & ſolemniter iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

## *FORMA IVRAMENTI PRO CAPELLANIS.*

EGo N. Capellanus huius Eccleſiæ Oxomenſis iuro ad Sancta Dei Euangelia, quod ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Reuerendiſsimo Domino N. Epiſcopo Oxomenſi, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, Eccleſiæque ſuæ, ac Priori, & Capitulo Oxomenſi; Contra Eccleſiam præfatam Oxomensē, eiuſque iura, necnon contra præfatos Dominos Epiſcopum, Priorem, & Capitulum publicè, vel occulte ſcienter non me opponam. Iuramenta, & ſecreta per eos, ſeu ipſorum alterum mihi iniuncta, nulli pandam; vtilitatem, commodum, & honorem eiuſdem Eccleſiæ in quantum potero procurabo. Statuta, conſtitutiones, vſus, & cōſuetudines laudabiles, ac longa interpretatione obſervatas hactenus, & approbatas ipſius Eccleſiæ, præcipuè ſtatuta ædita per Reuerendiſsimum Dominum Epiſcopum Petrum de Montoya, & aliud per Reuerendiſsimum Epiſcopum Alphonſum Enriquez, illa interpretans, & alia quæ officium

Capellanorum concernunt,ſtatuta præcipuè, quod Capellani huius Eccleſiæ tenentur Capas ſericas præfactis Dominis Priori,& Capitulo,omnibus diebus illas ſumẽtibus miniſtrare,& eos honeſte cooperire. Inſuper quandam concordiam inter Reuerendiſsimum Dominum Epiſcopum Petrum Gundiſaluum Manſo,& Priorem, & Capitulum,ſimul cum Archipresbytero, & Capellanis ſuper ſuppreſsione,reſumptione, & manualitate Archipresbyteratus,Vicariæ,& Capellaniarum per obitum vltimi poſſeſſoris initam,& Apoſtolica auctoritate confirmatam,& alia omnia provt in dictis Statutis, & Concordia,quæ mihi lecta,& publica fuerunt continetur,me inviolabiliter obſervaturum;ac Anniuerſarijs,& Memorijs, quæ à præfactis Dominis Priori, & Capitulo in Choro celebrari ſolent interfuturum.Ego idem N.promitto, & ſolemniter iuro,ſic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

NOS igitur Sebaſtianus Perez Epiſcopus omnia, & ſingula Statuta tam antiqua edita per bonæ memoriæ Reuerendiſsimos Dominos Epiſcopos prædeceſſores noſtros,quam ea,quæ per Nos immutata, addita, & denuo condita ſunt hoc volumine compræhenſa,& Capitibus centum,& octo diſtincta de conſilio, aſſenſu,& conſenſu chariſsimorum fratrum noſtrorum Prioris, & Capituli huius noſtræ Oxomẽſis Eccleſiæ,qui vna nobiſcum Capitulariter congregati,& vocati per ſchedulam proximè præcedenti die per Gundiſaluum de Canedo Ianitorem,habita cum illis matura deliberatione, auctoritate noſtra ordinaria,meliori via,& forma,qua de iure poſſumus confirmamus,approbamus,ſtatuimus,& ordinamus. Strictè præcipientes virtute ſanctæ obedientiæ, & penis in eiſdem contentis, & à iure Statutis adverſus ſimilium legum tranſgreſſores omnia,& ſingula in eiſdem Statutis contenta perpetuis futuris temporibus firmiſsimè, & inviolabiliter obſervari. Quibus omnibus prædictam

noſtram auctoritatem,& iudiciale decretum pro illorũ firmiori robore,& ſubſiſtentia interponimus,vt ab eorũ promulgationis die,& elapſo tempore à iure,&SacrisCanonibus præfixo,vim habeant obligandi, & ligandi omnes,& ſingulos in eiſdem compræhenſos.In quorum omnium fidem,& teſtimonium hoc volumen fideliter ſcriptum noſtro,& prædictorum fratrum noſtrorũ nominibus,Epiſcopalis etiã noſtri,ac Capitularis ſigilli iuſsimus, & fecimus impreſsione muniri. Datis,& actis in noſtro Oppido Burgi in dicto Capitulo noſtræ Oxomenſis Eccleſiæ octauo die menſis Octobris anno ſalutis milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio;præſentibus ibidem Dominis Licenciato D.Ferdinando de Padilla Priore, Licenciato D.Ioanne de Brizuela Archidiacono de Soria,D.Alphonſo de Luzon Archidiacono de Aça, D. Antonio Ruiz de Zumel Cantore,Doctore,D. Alphonſo de Ortega Theſaurario,D.Ludouico de Corral Scholaſtico, D.Alphonſo Portocarrero Abbate Sancti Bartholomæi,Licenciato D.Petro de Ortega Decano,Doctore, D.Ioanne Ibañez Abbate Sanctæ Crucis, Magiſtralis Præbẽdæ,Baccalaureo Franciſco de Herrera Canonico, Antonio de Marçana Canonico,& Subpriore,Licenciato Martino Gaſco Canonico Doctorali, Martino Gomez del Valle Canonico, Doctore Remigio de Cuenca Canonico Lectore Sacræ Scripturæ,Doctore Michaëlo de Spinoſa Canonico Pœnitentiario, Doctore Alphonſo Lopez de Puelles Canonico,Doctore Didaco del Alamo Canonico Doctorali,qui omnes pro ſe ipſis, & nomine aliorum Beneficiatorum Capitularium à dicto Capitulo abſentium, pro quibus præſtiterunt cautionem de rato, & nomine Portionariorum,Capellanorum, & aliorum Miniſtrorum dictæ noſtræ Eccleſiæ præmiſsis omnibus, & ſingulis ſuum expreſſum conſenſum pariter, & aſſenſum vnanimiter,neminè prorſus diſcrepante,præſtiterũt, præfataque omnia,& ſingula ſtatuta receperunt, lauda-

uerunt,

uerunt,& acceptauerunt,præſentibus ibidem dicto Gundiſaluo de Canedo Ianitore,& Hieronymo Ruiz,& Blaſio Roderici,ac Barnaba de Vrbina incolis dicti Oppidi Burgi, teſtibus ad præmiſſa omnia, & ſingula vocatis ſpecialiter atque rogatis.

Et incontinenti die,menſe,& anno quibus ſupra,lecta publicata,& promulgata fuerunt prædicta omnia,& ſingula ſtatuta in dicto Capitulo Eccleſiæ Oxomenſis,alta,& intelligibili voce per me Notarium, & Secretarium infraſcriptum de mandato dicti Reuerendiſsimi Domini mei Epiſcopi,& in eius,& dictorum Dominorum Prioris,& Capituli præſentia, coram prænominatis teſtibus. Sebaſtianus Epiſcopus Oxomenſis. D. Ferdinandus de Padilla Prior. D. Ioannes de Brizuela Archidiaconus de Soria. D. Alonſo de Luzon. D. Antonius Ruiz Cantor Oxomenſis. El Doctor Ortega, Teſorero de Oſma. D. Alonſo Portocarrero. Doctor Ioannes Ibañez Abbas Sancte Crucis. Franciſcus Herrera. Antonius Marçana. Licenciatus Martinus Gaſcus. Martinus Gomez. Doctor Remigius de Cuenca. Michaël Spinoſa Doctor. Alphonſus de Puelles Doctor. Didacus del Alamo Doctor. Et quia ego præfatus Doctor Remigius de Cuenca Canonicus dictæ Eccleſiæ Oxomenſis,ac publicus Apoſtolica auctoritate Notarius præmiſsis omnibus, vna cũ prænominatis teſtibus, interfui. Ideò præſens Statutorum volumen fideliter ſcriptum,ſignaui,& ſubſcripſi de mandato præfati Illuſtriſsimi,& Reuerendiſsimi Domini mei Epiſcopi,ac admodum Illuſtrium Dominorum Prioris, & Capituli in fidem,& teſtimonium veritatis rogatus. Doctor Remigius de Cuenca, Notarius.

*Et quia ego præfatus Doctor Remigius de Cuenca Canonicus dictæ Eccleſiæ Oxomenſis, ac publicus Apoſtolica auctoritate Notarius præmiſsis omnibus, vna cum prænominatis teſtibus, inter fui. Ideò præſens Statutorum volumen fideliter ſcriptum ſignaui, & ſubſcripſi de mandato præfati Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Domini mei Epiſcopi, admodumque Illuſtrium Dominorum Prioris, & Capituli in fidem, & teſtimonium veritatis rogatus.*

*Doct. Remigius de Cuenca Notarius.*

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

STATVTA

Almae Ecclesiae Oxomensis

SS-A
22